




1
7
95











ANTONII P...

... D LXXV...

... IACOBI SYMBAENI.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.


VIII
PERS
8

ANTONII PERSII

PHILOSOPHIAE, ET I. V. D. CIVIS ROMANI

LIBER NOVARVM POSITIONVM,

IN { RHETORICIS
DIALECTICIS
ETHICIS
IVRE CIVILI
IVRE PONTIFICIO
PHYSICIS.

ORDINE, QVEM VERSA PAGELLA PATEFACIET.





VENETIIS ∞ D LXXV.

TYPIS IACOBI SYMBAENI.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

923

ORDO POSITIONVM HVIVS LIBRI.

PROPOSITIONES ∞∞
ANNO ∞DLXXV

IN RHETORICIS, DIALECTICIS, ETHICIS,
IVRE CIVILI, IVRE PONTIFICIO,
PHYSICIS;
ET PARTIM QVIDEM ILLARVM
CONTRA PRAECIPVOS IN HIS FACVLTATIBVS
VIROS OMNIVMQ. CORYPHAEOS, PLATONEM
NEMPE, ARISTOTELEM, HIPPOCRATEM, ETC.
(SED MAXIME ARISTOTELEM) IMPERATORES
ROMANOS, IVRISCONSVLTO'SQ. TAM VETERES,
QVA'M RECENTIORES,
PARTIM AVTEM
VERIORES, IVXTA DISCIPLINAS HASCE,
DIVERSI'SQ. A CETERIS ALIIS,
INNIXAE PRINCIPIIS;
AB ANTONIO PERSIO, PHILOSOPHIAE, ET
I. V. DOCTORE EDITAE
SED
A GASPARE ZENVCHINO AD DISPVTANDVM
PRODVCTAE, VENETIIS, ET PATAVII.
PER TRES PERPETVOS DIES, INEVNTES
A DIE ASCENSIONIS DOMINI.
QVILIBET AD DISPVTANDVM INVITATVR,
NVLLO DISCRIMINE, SCHOLARIS AN DOCTOR,
TYRO AN VETERANVS
LIBER, DISPVTARE CVPIENTI DABITVR IN AEDIBVS
CLARISS. GEORGII CORNELII, AD D. MAVRICII.

CLARISS. ET PRVDENTISS.
SENATORI GEORGIO CORNELIO
PATRICIO VENETO

GASPAR ZENVCHINVS S. P. D.



VM anno superiore quasdam propositiones in Philosophia, Dialectice, & Iure ciuili ad disputandum publicè, proposuissem, mirum quàm praeter spem meam euenerit, vt unde mihi fructus doctrinae, ineundaéq. apud eos gratiae, quos ob doctrinae praestantiã apud omnes tãtùm nõ primos haberi, mihi uidebatur, constare aliquis debuerat, earum potiùs iactura a me facta sit: Doctrinae quidẽ, quòd ex eo loco, in quo vociferati potiùs fuimus, quàm disputationẽ habuimus, tot obrutus nugis, ac sophismatũ portẽtis enectus paene, animi pendens, huc, illúcq. quouis impetu exclamantiũ, quorúmq. maiora essent latera, facilè impulsus, tãdémq. vbi essẽ egomet, nescius, Dauus abij, nulla in re Oedipũ adsequutus, nisi quòd illã istorũ peruicaciã, & inanẽ quarundam, q[illegible]is vocãt, distinctionũ fastũ, ac laqueos, a me antea solùm auditos, satis tũ de facie norim: Gratiae uerò, quod cùm ipse mihi nondũ satisfieri, eorũ responsis, querens, aliqua mihi ratione satisfactũ vellẽ, continuò voce obtundebar omniũ vna, potiùs maleuolentia quadam firmata, quàm ratione vlla, Me alere opinionũ monstra; eóq. magis in me petulãter inuehebantur, minásq. addebant, quibus modicè tangi debet is, qui ad indagandam veritatẽ animũ adduxit, quò in meis placitis, verbisq. vehementius quid inesse cernebãt, quod eos cedere cogebat, ac propemodũ infringebat. Id aũt cùm ipsosmet fateri puderet (nihil enim aliud, nisi, victori manus dare, erat cõfessio) quãtũ apud eos inuidiae pro sperata gratia inuenerim, tibi relinquo cogitandũ, qui genus illud hominũ, qui frequẽtiores alijs, multísq. partibus plures quàm ceteri, in eiusmodi cõgressibus adesse solẽt, pulcre nosti. Quae res igitur honestis, et, vt profitentur, doctis hominibus, adiũgere me magis debuerat, ea me maximè ab illis hoc tẽpore disiunxit, hoc est, inquirendae veritatis ardẽs studiũ, discẽdiq. inexplebilis volũtas. qua praeditus, in diésq. magis augescente, cogor iterũ in palaestrã descẽdere, cõtra

longè

longè plures, quam tũ fuere, lõgéq. plures, quàm tũ sustinui propositiones, in mediũ allaturus. Quod qua praesertim caussa, denuo, impulsus fecerim, paucis tibi testatum volo, ne te nimiùm longo auocem interuallo de repub. quam prudentissimis consilijs tuis, & manu, summa cum vtriusque digni tate tractas. absque dubio enim

---In publica commoda peccem,
Si longo sermone traham tua tempora---

Superiore igitur anno cùm ego Antonij Persii (qui apud te est, téq. summo omnium paene in rep. gradu agentẽ, & paullò antè supremi Xuirûm consilij bis principẽ, obseruat, & colit, tuísq. consilijs, quibus flores, incolumẽ reip. precatur, tua in eruditos, & insignes virtute viros, prolixa volunta te, unà cũ ANDREA *tuo mirificae spei, elegantis ingenij & doctrinae filio, miris extollit laudibus, atque amore cõplectitur nõ vulgari) cùm, in quã, Antonij Persii disciplinam, & familiaritatẽ inissem, et eius ductu, ac auspicijs, quas dixi, propositiones edidissem discutiendas, in ijs paucae sanè quaedam fuerũt aduersùs Aristotelẽ, tanta cũ indignatione, atque admira tione audaciae meae a Peripateticis exceptae, vt quasi turbo aliquis demissus viderer ad euertẽdã vniuersam Aristotelis philosophiã. Cùm autẽ ipse quoque, turbas illorũ intuitus, taliúmq. ingenij inscius adhuc, admiratio ne esse correptus, ecquid eũ ad id faciẽdum adduxisset, rogaui; ne de spe, quam ad consulendũ posteris, viuẽtibúsq., quoad posse, & liceret, iã tũ fo uebã, penitus uiderer decidisse. Qui mihi, facere, inquit, vt ea, quae ad tẽpus accõmodentur, in apertũ proferrẽ, si veritas pateretur: quae & si odiũ pariat, vult tamẽ ipsa praeferri, et rebus anteponi oĩbus, vult etiã ipsi Ari stoteli resisti, quando illi ipsi amicior omnibus rebus alijs visa est. Si igitur ipse repugno Aristoteli, cùm errare, qua homo fuit, vt nos sumus; quod isti, potuisse negant; eũ deprehẽdo, veritatis innitor uestigijs, quae premere nõ desinã, quoad eius facere valebo. habeto enim, haud duo, uel tria, sed longè plura peccasse Aristotelem in philosophia, disrumpãtur licèt, qui secus esse, nõ tã uerè, quàm obstinatè proferunt. simul addidit, si virũ, qui nõ solùm Aristotelẽ excellat, sed omnes etiã philosophos, quorũ uel aliorũ, uel propria ipsorum monumẽta rumorẽ alunt, audiuit umquã, istunc esse Bernardinũ Telesium Consentinũ, qui quò minùs, ut philosophum decet, alij deuinctã habet uoluntatẽ, eò potuit oculatiùs alijs rerum naturam inquirere, ac per uestigare.*

uestigare. [illegible] uerba tanti fuerunt apud me, ut exinde eum orare, hortari, monere, & apertè negantẽ accusare, dum exoptatum consequerer, numquam destiterim: Si enim in Dialectice, quam antè mihi perlegerat, Aristotelis plurima, eáq. non contemnenda prorsùs errata sibi deprehensa, latêre me non est passus, multam illius, ut aliorum omnium, auctoritati salutẽ dicens; eandem rationem, ac methodũ in explicanda mihi philosophia, seruaret, in qua vehementiùs, atque etiam frequentiùs ab illo peccatũ dicebat. gratificatus est ipse mihi, eóq. maiorẽ de recenti beneficio uoluptatẽ capio, quò magis praeter opinionẽ meam accidit, ut haud eam, quam cogitabã Aristotelis, sed eam, quã praeter omnes uerissimã experimento cognoui, Telesianã scilicet philosophiam, mihi enarrandam susceperit. se enim una cũ Telesio, familiari sermone disseruisse, amantérq. disputauisse de rerũ natura, tãdémq. eo deuẽtũ, ut ultro in eius placita discessionẽ fecisset, cuius a ueritate nihil, aut minimùm, ab Aristotelicis dogmatis tota uia rationẽ abhorrere intellexisset. Hac uerò audita, nequeo explicare, quantũ, & quàm breuissimo tẽporis spatio profecerim: quomodo uniuersam naturã non animo ac mente conceperim, uerùm ob oculos positam, duce sensu, & uiderim & tetigerim. Eodẽ ferme tempore, quo haec acta sunt, Antonius Persius librũ Nouarum positionũ editurus, typis mãdauerat: perfecto iã libro, sed tamen e typographeo nõdũ egresso, neque libri epigraphe absoluta, rationẽ & consiliũ inij, disputandum eum librũ, iri a me productũ. cúmq. de hac re saepe illum, & odiosè deprecatus essem, exoraui tãdem, ut per eum mihi liceret soli de me periculum facere; simúlq. de libri disciplina ceteros admonere, quò meum bonum cũ quibuscũque possem, cõmunicarẽ; omnes igitur hîc animi, & ingenij uires profusurus, non odio ductus Aristotelis, sed propulsandae ab oculis hominũ (uerbo absit inuidia) caliginis gratia: nihil non ausurus, praeclara conscientia sustentatus, qua comite, ad hunc ἀγῶνα proficiscor. Quòd si tuam erga studiosos, mihi perspectissimam beneuolentiam, hoc tempore praestiteris, haec pericula, quae mihi impẽdere uidẽtur, alacriùs adibo, tua fretus auctoritate, qua, ueluti Aiacis clypeo, quaeuis tela non effugere solùm, sed in hostem etiam retorquere ualebo. Vale.

Venetijs. ∞ D L X X V. Mense Aprili.

ALOYSII LOLINI PATRICII VENETI EPIGRAMMA IN LIB. NOVARVM POSIT. ANTONII PERSII.

Ille tuus, rerum Pallas sapientia, Perseus,
Qui tulit inuictas in fera monstra manus,
Gorgoneas acies postquam, saeuasq. Medusas
Vicit, & Argiuum depulit Acrisium;
Has tibi deformes facies, atque horrida tabo,
Ora dicat, clypeo conspicienda tuo.

ANTONIVS PERSIVS LECTORI S.



CVM hae positiones Venetiis per tres illos, in quos indictae fuerant, perpetuos dies essent a nobis, disputatae, factũ est, vt petẽdi Patauiũ publiceq. illas ibi proponendi consilium deposuerim, omnesq. disputandi cupidos (quia non tam magna inter Patauium, & Venetias est intercapedo loci) ad Corneliorum aedes, toto hoc anno inuitatos uoluerim. Cùm enim Venetiis tertii, hoc est ultimi diei disputationem ad umbilicum iamiam perducturi essemus, nouus quidam tumultus est exortus, Patauini gymnasii discipulis nescio quibus, uoce primùm, ac uultu, deinde etiam gladiatoria quadam mente circumsistentibus, minantibusq. id, quod ratione non possent armis confecturos (pridie enim illius diei, risu quodam Sardonico, me irridentes analphabeti quidam leguleii, quòd a Iudicando, Ius dicere, differre dixeram, ignorãtiae notati erãt, in caussa fuerunt, ut ego temporius de medio me proripuerim. Nunc autem & ex re nata, & ex rumore hominum certior factus, maiorem fore Patauii petulantiam discipulorum, si illuc cogitarem, dico omnibus, quicumque mecum disputare uelit, me adeat, sin minùs, contra positiones meas aliquid scribat: quo quid longius habeam! Sed pro Iuppiter, ex tot positionibus uix unam, uel alteram intellexerunt; & committent postea, ut intelligendo multa, nihil intelligant!

ERRATA QVAEDAM ALIA, OBITER, DVM LIBRVM RELEGEREMVS, ADNOTATA.

In praefatione fac. 4. Parmenides *fac.* 9. modò nõ totum. *fac. ultima.* cùm tertiam. *in oratione prima fac.* 3. facies obtulerit. *in orat.* 3. *in princip.* meam detexerim: *& si quae sunt alia, Lector, pro tuo animi candore, occupatum hominem, impressoresq. fugisse non miraberis.*

IN LIBRVM NOVARVM POSITIONVM,

AD ILLVSTRISSIMOS, ET ERVDITIONE, ATQVE INGENIO PRAESTANTISSIMOS, FRATRES, HENRICVM, ET CAMILLVM CAETANOS, BONIFACII PRINCIPIS FILIOS,

ANTONII PERSII PRAEFATIO.



VANTVM ipſe, uaria ac multiplici auctorum lectione, illorum praecipuè, qui utramque philoſophiam, Naturae, & Morum, ex profeſſo uel pertractarunt ipſi, uel ſunt interpretati, labore, ac uigilijs indagare, & elicere potuerim, duas inter ſe diuerſas, immo etiam aduerſas, & docendi, & a doctrina claris hominibus diſcendi uias haberi inprimis; ex quibus alteram quidem a pleriſque, alteram a multò paucioribus teri adhuc, ſatis cōſtet; tertiam quandam nec uulgaribus patêre, minorúmq.; ut ita dicam; gentium hominibus, nec ijs etiam, qui ſapientes, ac excellenti praediti ingenio ab omnibus & dici, & haberi uolunt, mihi uideor inueniſse. Quarum quae magis mihi ſit cordi, qua incedam, quámq. ueriorem, uel ad rerum ueritatem, praeſtantiorem illuſtrioremq. ducem ſim expertus, experiárq. indies magis, magno meo bono, quod mihi felici quodam fato contigiſſe putē, nunc nunc eloquar, ſi antea de reliquis meam ſententiam pronunciare. expedire enim mihi ſentio, illas hoſtes, non tam meas, quàm omni humano generi communes, ut mea pol eſt exiſtimatio, priùs refellere, et; quoad eius per me fieri poterit; unicuique deſpectas reddere conari. Inſtituam autem quaſi diſputationem:

ſputationem: unúmq., ſi placet, loquentem, me ei reſpondentem faciam; ingenuis etiam hominibus, hoc eſt, ueſtri ſimilibus, per me licitum fuerit, huiuſce rei arbitris eſſe. Dicam igitur de his; ſed ita dicam, ut cùm harum unam praetor in poſſeſſionem Veri, ex edicto, miſerit, reliquas duas excluſiſſe illum, exiſtimemus. Prima ergo uia, quae a pleriſque omnib. frequentatur, eſt, vbi nec rationi, nec rei ipſi, cùm opus eſt, locus relinquitur ullus: illis, qui principes, ac maioris nominis viri ſunt, omnia deferuntur, unóq. ij ab omnibus ore feruntur ad caelum: Reliqui ab his omnes, qui cum nullo facere, neque in ullius uerba iurare uolunt, niſi quem optimum, uerúmq. ſint experti, non audiuntur ſolùm, uerùm etiam exploduntur, atque exſibilantur; facinus crediti admiſiſſe, cùm alicui potiorum reſtiterunt. eos enim tamquam ex tripode, uera omnia effatos, & , ſi dicere licet

Quae ſint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Itaque ab omnibus hos in omnibus auctores habendos, & ad omnia magiſtros accipiendos; omnia, quae eorum ſunt, uel ſub eorum nomine circũferuntur, pro oraculis ducenda eſſe. Altera huic uia prorsùs contraria uidetur. huiuſmodi referta tota eſt illorum, qui nihil, niſi uel apertè, uel clam, ſciunt maledicere, ac detrectare, nulla doctorum quorumlibet uirorum ratione ducta, quò purgatiori praeter omnes ingenij acumine eſſe uideantur: in ſumma totam laudem in alienis reprehendendis, & exagitandis opinionibus, tãquam in illuſtri quodam loco ſitam arbitrantur. Tertiam inter utramque mediam ſcitote; qua pergunt illi, quorum ingenium ita fert, ut neque praeſtantium ingenio, & doctrina, cuncta laude proſequantur, nec, ut ſecundi, omnia probris, ac maledictis compleant: uerùm, duce ſenſu, ac ratione, eam ſuggerente ipſo, ſe ueram inueniſſe, ac reperiſſe ſciendi uiã, animum induxerint: eámq. ut per omnes aetates omnis ſit poſteritas intellectura, dum uiuunt, aperire alijs, morituri, litterarum monumentis conſignare non grauantur. Explicui, quantum ſatis mihi uiſum eſt, harum trium uiarum rationem. nunc de meliori, ac ueriori

disputandũ superest. Primùm ergo dicet Aliquis, Nõ iniuria factũ uideri, si magni nominis uiri imitandi nobis proponantur; illorum dicta facilè uera habeantur, cùm tot tantósq. iudices sortita, semper aequiores eos multò sibi, quàm alijs, cognorint. nam ut ex multis unum Aristotelem deligamus, uix unum inuenias, aut alterum, qui praecepta eius oppugnarit, uel de doctrina aliter iudicium tulerit: & si inuenti aliquot sunt, statim, irrito conatu, spe frustrati sua, factum mutarunt, & in uiam, hoc est, in Aristotelis Academiam redierunt. Vero enim esse similius, duos, trésue potiùs alucinari posse, quàm tot, & tales uiros, qui nomina, tot annorum emensis spatijs, soli Aristoteli, nec alij praeterea ulli dederunt. Cùm namque omnibus ferè in rebus quidam sit modus, quem ultra non est progredi; sed in illo demum resistere, ac tacere, quem ipsa finem praescripserit natura, id euenisse ipsius Aristotelis dogmatis existimemus: Fuit enim tempus illud, cùm tot in philosophia opiniones, ac sectae, quot hominum capita reperiebantur, magis risu, quàm admiratione dignum, intuenti, quot quot rerum humanarum notitiam adsequi conabantur, in densissimas tenebras ruisse, magnásq. opinionum confusiones peperisse. ecquis enim non fando audiuit Empedoclis incertitudinem in cernendo, Aliorum in rebus & oriundis, & occidentibus, casum quendam, & Epicuri

Omnia sunt risus, sunt puluis, & omnia sunt nil.

Caecus enim, & praeceps omnia casus agit.

Ut de reliquis innumeris taceam! Id autem nasci temporis nos, uoluit natura, in quo, minimo labore cognitionem eius haurire possemus, cùm in Aristotelis scriptis peruoluendis, atque intelligendis uersati cum laude fuerimus: praeclarè nobiscum actum existimantes, cùm Aristotelis mentem obtinuimus. Quod bonum, & ipsius donum naturae nobis inuisum iri a priscis illis philosophis, agnoscere possemus, si eorum aliquem ab inferis excitatum alloqui daretur. Quòd si haec omnia, uera, ut sunt, haud uelis esse, mihi tamen ex usu

uolo ut sit, malle cùm Aristotele; ut cum Platone Ciceroni placuit; errare, quàm cū alijs bene sentire. Cuius aemulari exoptamus negligētiam, quàm illorū obscuram diligentiā: Qui, cùm omnia sensui se debere fateantur; a quo saepenumero falsi habemur; aegrotantiū more, album pro nigro, amarū pro dulci, siccum pro humido, pro calido frigidum accipientes, rationē ipsam ad antiquorū philosophorū scripta, unde profecta fuit, amandantes, nouum morē inuenisse se philosophādi, & Sensatae philosophiae patres, dici gaudent. Ergo mētitus ille fuerit antiquioris philosophiae grauissimus auctor Parmedines, qui sensum saepe falli, rationē esse rectum rerum iudicē, adseruit! isti uerum dixerint, Sensum rectum iudicem esse, rationē, nisi quae de rerū sensu perceptarum similitudine profluat, falli semper! Nam de ceteris illis, qui sese unicuique opponunt, nihil noui afferentibus, nec saltē παραδοξολόγοις, *at maleuolis, ueteribus, blateronibus, quid dicam! Illi mehercule ab se ipsis, nedū a nobis, aliisq. refelluntur, neque de huiusmodi, puto, multa inter nos uerba commutabimus. Cede igitur quisquis praeclaris scriptoribus locū, quem ipsi per longū tempus obtinuere; quē, si meritos negemus, suum iam per usucapionē quandā effecere. Si ranae in magnitudinem bouis excrescere cupientis, inane, stultúmq. desideriū ridetur ab omnibus, quanto maiore cū risu insipientia ista tua, plena inuidiae, referta nouis opinionibus, abundans superbia a nobis excipietur! cùm tu Pygmaeus homo contra Gigantes tendere ausis, quando tibi incesserit cupîdo, alienarū uirtutū, ac sententiarū nouo aestimatori. Ecquis expers cachinni; dic mihi; ueneratione dignorū ingeniorum scripta quaedā admittere, quaedā alia reijcere te, sit uisurus? Hoc quid est aliud, quàm, te plusquā philosophū uenditare, dum tu philosophorum coryphaeos & iurisconsultorū coactorum in ordinē, minitaris, alteros praeire sapientia, prudentia alteros praeteferens! Quòd si id seni, ac decrepita aetate uiro uitio dandum, quātò magis iuueni, uel nondum uirilē aetatē ingresso, plurima librorum lectione defecto, rerum auti gerendarum usu non multum*

pollenti

pollēti! Ad prima nunc illa respondeo: Nescio equidē an nimis tutū sit, quod multis arridet, cōtinuò id rectum, & laudabile praedicare: hoc scio, ueterum memorabilem sciētiam, Multorum numero, malos, Paucorum, bonos appellitauiße. Quod si magni nominis uiris, de quo rum ore manauit, quos tu ad miraculum usque uenerariis, est creden dum, uide quaeso, ne in illorum gregē receptus inueniare, quos tu reli giosè fugere, ac deuitare conaris. At ubi tot hominum te habere exē plum fateris, quo exemplo, tibi licere; ut Comicus ait; quod illi fece runt, putas, cùm hoc tibi dedero, tum si commodum est,

Scire uelim, pretium chartis quotus arroget homo?

Septingenta, fortè inquies, hominum millia. Quid? Si is numerus uno, uel altero homine deficiatur, húncne, cui te addixisti, deficies tu? Minimè, inquies, gentium

Vtor permisso: caudaéq. pilos vt equinae
Paullatim uello: & demo vnum, atque etiam vnum,
Dum cadas elusus ratione ruentis acerui.

Phy! cùm te respicio multorum hominum assectā, prorsùs nullorum eße comperio. miseret me tui mi homo. Deinde, me uix unius, aut al terius, qui Aristoteli restiterit, tibi facturum copiā, cùm dicis, id tu dicis, haud ego. nam & esse non tam paucos, & uerò fuisse: at inter- mortua sunt planè illorum, qui fuerunt, monumenta; qui sunt, uel paullò antè deceßerunt, copiā tibi faciant bibliothecae. Quòd autem Naturā, & priscos philosophos, Aristotelicae immensae, ac uerae do- ctrinae optimos testes esse uis, tibi equidē concedā; ea tamen lege, ut quae tu dixisti, ab ore ipsius Naturae loquentis audiam, praetermis surus etiā antiquorum philosophorum testimonia, ceteraqui nullam prorsùs tibi fidē adhibiturus. Nā quòd ais, te malle dormitare cum Aristotele, quàm cum alijs uigilare, per me quidē dormîto quantùm uelis, modò confessus, aliquando Aristotelē tuum dormitauisse. Cùm tu inconstantem sensum nostrum praedicas, eum rationi postponens, uel iniquè agis, quia nos longè peiore condicione esse uis, quàm anti-

qui philosophi fuerunt, sensu nimirum praediti exactiore, ac multò purgatiore: uel, antè quàm superbiae me accuses, superbiã nõ agnoscis tuam, qui ratione sola fultus, non humanae sapientiae cultor & amator, vt nos sumus, uis eße, uerùm; dum ea, quae se aliter habere, sensus indicet, ratione certa, tuo ueluti arbitratu, effingere conaris; de sapientia cũ Deo contẽdere audes non parùm calidé. Neque satis mirari possum, quòd meam audaciã admireris, qui aduersèr Parmenidi, cuius principia funditus eradicare, nec sine dolo malo, Aristoteli tuo non est audaciae adscriptum. Nec igitur mihi uertendum erit audaciae, si multa reijcio, quae uel certè sunt, uel Aristotelis e sse dicuntur. usus sum a puero, praeceptore eo: conor exsequi ea, quae me ipse docuit, quae ipse fecit. Is contra ueteres philosophos, quasi Pygmaeus homo contra Gigantes, multa disputauit. rectè. multa, quae illos fugerant, uidit. quo pactó? Conscendit in eorum humeros, & omnẽ prospectum latè petijt, multáq., eorum, quae ipsi non uiderant, adminiculo perlustrauit; quia procerior eis factus fuit. Sic Ego, plurima quàm Aristoteles ipse, ac ipsi Romani iurisconsulti, me uisurum, in spe sum, ab eorum scriptis praecipuè adiutus; quibus omnia me debere, ingenuè fateor: docuisse me ipsos quoque, de scriptis suis libere, & ut philosophum decet, sententiam ferre, etiã in ista aetate, quae iuuentutẽ nondum est egressa: Addã etiã, in ea natũ Italiae plaga, in qua nata atque alta est ipsa philosophia, cuíq. ob eam rẽ, Magnae Graeciae nomen indidit antiquitas. iocari enim superest denique. Verùm de his iã satis puto εἰς ἑκάτερον disputatũ. Restat, ut, aliqua de nostrae aetatis doctoribus praefatus, consiliũ meũ postremò uobis aperiã. Nõ dubium est, quin hoc uitium cõmune sit omnibus paene, ut omnia se scire, digitóq. caelum attingere uideri velint, alios prae se contendant, concedant nemini. plerosque enim omnes non tam sciendi cupiditas, quae naturae accepta fertur, quàm laudis, gloriaéq. auiditas tenet, ut paucula quaeque ostẽtemus, alienis etiã pro nostris utẽtes, quò plura, quàm didicimus, scire uideamur: cúmq. nostrarum sententiarum
admi-

admirãdi propugnatores simus, aegre adeò pati possumus, atque apertè confiteri, plus nobis alios uidisse, ni mentiri aliquãdo coacti simus, quo tempore necessitas ita tulit. Quod si in aliquo egregiè notum atque testatum cognoscere ualemus, in illis certè, qui hodie Peripatetici appellantur, illustrissimè patet, qui nullam aliam ob caussam, Aristotelis placita sequuntur, eáq. ut defendantur, uigeant, amplectantur, obstinatè operam dant, illúmq., qui contra eum paratus sit, eiúsq. scriptis paullò acerbiorẽ praeseferat, mirificũ, non Aristoteli solùm, sed etiã sibi ipsis conuiciũ facere arbitrantur, illiúsq. nomen delẽdũ, & a doctorum albo eradendum putant; nisi quia se in senectute discipulos esse, ac resipiscere, cùm iam rude donatos deceat, in lauta, & bene aucta parte gloriae agentes, nimis durum experiuntur: quos vnius Aristotelis paucorũ librorũ lectio tot annorũ spatio detinuerit, sollicitósq. habuerit. Quos tandẽ cùm uix, immo ne uix quidẽ perceperint (neque uerò id inscitiae, vel ingenij tarditati eorum do, quin potiùs in auctorem ipsum, tum uerò praecipuè in tempus partem maximam culpae transfero) & ut eos demus, istos percepisse, cùm tamen de natura rerum indies magis haereant; quippe quibus omnia sunt incerta; ad ultimum illud remedium, tamquam ad statuam confugiunt, Distinguo bifariã, trifariam, quadrifariã, & usque in infinitũ; &, Est in Potentia, non in actu, in Actu, non in potẽtia; ut aliarũ hîc myriadas distinctionum conticeamus; ridiculè, uni calceo quẽuis pedem accommodantes. Unde factũ est, ut istorum scripta innumeris; iisq. inauditis, quos hi commenti sunt, terminis, undique scateant, sine fructu ullo, nec vulgari illorum iactura, qui sese imprudenter istorum doctrinae commiserunt (Possum ego mediusfidius hoc uerè praedicare, qui primos annos apud huiusmodi, tamquam apud scopulos Sireneos, satis misere contriuerim; longéq. improbiorem; ut sic dixerim; in dediscendis ijs, quae deteriora sensi, quàm in optimis addiscendis, laborem exantlarim): Atque id caput est, ut tot controuersiis refertae interpretationes, cõmentariorúmq. cõmentarij

numquam

numquam non emergant, multò plus uerborum, quàm rerum allatu
ri. Quod; ut alias artes, sciẽtiásue praetermittamus; euenisse in Ro
mana iurisprudentia; cuius interpretandae ab hac Peripateticorum
diuersa nec ratio, neque condicio prorsùs facta est; qui ei uacarit, uel
qui primoribus eã labris degustarit, mecũ confitebitur: immo fortas
se, ac ne fortasse quidẽ, notiora sunt vulgo Bartoli, Baldi, & his simi
lium nomina, quàm uel Auerrois, uel Occhae, qui Terministarum
Imperator, iam-dudum est salutatus; aliorúmq. qui Realium acade
miam; vt ipsi vocãt; erexerunt, eóq. notiora, quò magis, propter caus
sarum multitudinẽ, fori, quàm gymnasiorum limina teruntur, ac fre
quentantur. Istorum igitur cõmentarij, quásq. appellitant, Repetitio
nes, Lecturae, Consilia, Tractatus, nouis & uocabulis, & interpretã
di genere, propter ignorationẽ rerum, & tẽporum, quae primùm te-
nẽre debuerant, omnia confuderunt; nec uno in loco sibi, & ipsis an-
tiquis iurisconsultis, quos interpretati sunt, contraria afferentes, ex
non simulata, inaffectatáq. simulatã, et affectã ciuilẽ, diuinámq. iu-
risprudentiam; Iustitiam quoque ex incorrupta Chrysippi uirgine lu
pam paene reddiderunt, uel potiùs, alijs ut ipsa prostitueretur, Iliade
longioribus cõmentarijs, & omni Sphinge perplexioribus quaestioni
bus effecerunt. Sed ad philosophos, vnde digressi sumus, redeamus.
Talem igitur, tantúmq. philosophum, qualis, & quantus est Aristo-
teles, quẽ ipse quoque non laude solùm, sed admiratione prosequor,
ita tamen ut praestantiorẽ in multis, &, quod magis, me iudice, re-
ferre debet, ueriorem esse potuisse non negẽ, cùm hi sententiã eius, &
dogma in multis locis haud adsequuti sint, obnixè tamẽ defendunt:
neque id Aristotelis, eius beneuolentia ducti, sed sua ipsorum caussa
faciunt; nempe ipsum bene intelligere se, significantes, obscurè,
sed ita, vt perspicuum sit, in eius doctrina haesitare, sibi ipsis con-
fitentes. Quóq. omnia se consequutos putent, & quam ad opti-
mam laudem uiam affectarint, adeptos esse, qui praeclarã istam Co-
rinthum adierint, quandã fingunt inter se fallaciam (eorum pace di-
catur)

catur) Hanc philosophādi scientiam haud cōmunem uniuersis, obscuris fabularum inuolucris, uel carmine ab antiquis poëtis, uel prosa, uerùm ea symbolica oratione, a uenerando antiquae philosophiae patre Pythagora uelatam, & custoditam nostrum Aristotelem cōmuni, & soluto genere orationis, primùm posteris suis prodidisse: &, si dijs placet, Cn. Flauium Appij scribam imitatum, qui subreptū actionum librum, apud pontifices adseruatum, & a patrono suo Appio ad formam redactum, populo Romano dicitur tradidisse. quasi uerò nulli Aristotele antiquiores inuenti sint, qui simili oratione, ac stylo, de Vniuersi natura libros conscripserint! Quid! ut alios taceam, Ocellus Lucanus conterraneus meus, qui suos commentarios hoc titulo inscripsit, nónne lōgè prior Aristotele, discipulus Pythagorae, fuit! a quo (ut hoc obiter dicamus) ipse Aristoteles non opiniones integras mutuatus est, non integras accepit sententias, sed sua eius uerba, nomine suppresso, transscribere, turpe nō putauit; ita ut hic solus totum opus physicum Aristoteli effecisse uideri possit, ut si iudicium aliquod sit apud inferos, & aliquis Rhadamāthus, absque dubio τῆς κλοπῆς δίκην Aristoteli intentarit; actorésq. multos habuerit comites, quò minùs uereri potuisset, etiam si cum illo ageret τῇ ἀπαγωγῇ, numquā iri potuisse damnatum ad millenas drachmas pendendas, tam multos hic bonus uir latrocinio mactauit. Habetis a me quae uobis praefata me uelle aixeram: nunc totius consilij mei rationē exspectate. Cùm ego talem uiam ab initio studiorum meorum esse ingressus, qualē uos ex oratione mea facilè intelligere potestis; eiúsq. magnum, ac non modò totum iter confecissem, eam alijs cōmunicando, notam atque illustrē facere decreui: Quod e sententia mihi cadere posse sum arbitratus, si positiones aliquot in medium afferrē, tam in logicis, Rhetoricis, Dialecticis, quàm in Iure ciuili, & pontificio, quàm in philosophia naturae. Statui igitur in his positionibus, quas collegi de iure ciuili, id se qui, quod me philosophia morum, unde iuris praecepta, ueluti de fonte fluxerunt, sequendum doceret, nulla, inquam, non Bartoli solùm, ceterorúmq., sed ipsorum etiā, qui ueriùs appellantur, iurisconsultorum,

rum, ratione habita, neque mei etiã ipsius, si mihi alicuius, a quo ratione, me alucinari conuincar, potestas erit. Idem in logicis, idem in philosophia, quae φυσική. Cuius elemẽta longè ab Aristotelis, aliorúmq. ueterũ diuersa, a nouo quodã, uerioriq. Flauio scriba in propositiones digessi. Huius autẽ oratio, et scripta nusquã sibi cõtraria; quod adhuc offendi in multis; mihi admirationẽ cõcitant, conciliant beneuolẽtiã. Quis, amabò, nouus iste Flauius? Quis! BERNARDINVS TELESIVS Consentinus, qui uerã sanè philosophiã e tenebris uindicauit, ab inuo lucris reuelauit: qui nomen illud philosophi iure, solúsq. meretur; qui praeter omnes quot quot sunt, quótq. fuerunt, Rerum naturam lynceis oculis peruidit, & perlustrauit. Ex cuius de rerũ natura iuxta propria principia, libris, quos annis superioribus secundùm, me praesente Neapoli edidit, quot quot potuere, propositiones extraxi: quas nunc in omniũ conspectũ productas quoque uolui, quò specimẽ quoddam hoc tẽpore eius doctrinae omnibus praeberẽ, síq. uellẽt aliqui, tum illas in logicis ac utroque iure, tũ has in physicis Telesianas mecum examinare, ac disputare, toto hoc anno mei facturum me copiam domi, illisq. ad obiecta respõdere paratum, reciperẽ; omniúmq. rationes uel pro eo, uel cõtra eum audirẽ; nullũ studium missurus, quò mihi, mecúmq. cõiunctissimo uiro gratificer, ac diligentissimi officium exsequens, utrisque, nullo relicto scrupulo, plenè satisfaciam. Quod me fecisse Perusii, Henrice, & Camille, uobis etiam praesentibus, sat scitis, in illis disputationibus, quas unà cum Perusinis philosophis trahebamus: Cuius rei praeclarum apud optimum quẽque, ac doctũ & uoce, & litteris quoque testimonium praebuistis: ut taceam interim quàm prolixè, quàm largiter, quàm humaniter me, ubicumque se caussae obtulerint, acceperitis; Vt habere uobis immortalem hercle gratiam debeam, parẽ autem relaturum, id uerò sperare nũquam ualeam. Vos me (quin erumpam nequeo pati, mentione oborta de beneficijs uestris) uos, inquam, me, tamquam optimi patroni, ab inuidorum quorũcumque maledictis in integrum uindicastis; prudentium patrũfam. more, quae mihi opus erant, cũ HORATIO CELSO elegantissimi

*ſimi ingenij, & doctrinae uiro, ſummáq. humanitate, ac benignita-
te praedito ſubleuaſtis; acerrimorum inſtar ducũ auctoritatis ueſtrae
clypeo ſeptẽplici protexiſtis; uelut autẽ prudentiſſimi iuriſcõſulti (cui
facultati neque exilẽ, neque vulgarem operam nauaſtis) diſputatio-
nes noſtras quotidiano cõgreſſu cũ* FRANCISCO CANTVTIO; *quẽ unũ
delegeramus ex multis acutiorẽ, rectiúſq. de Iure ciuili ſentientem;
quarum rerum iam-dudum Romae, in collegium Rotae Auditorum
adlectus, dignam tulit mercedem; diligentiſſimè, inquam, eas perpen
debatis, cognoſcebatis, híſq. diſputantes uos quoque, unà cum Celſo;
qui doctrinã Cantutij ſemper fecit maximi; nõ ſemel intereratis: De
nique nullũ in me beneficij, beneuolentiae, pietatis, diligẽtiae officiũ
praetermiſiſtis. Quibus rebus & ſi ſolidò non eſſem ſoluendo, confi-
debã tamen in loco, meã erga uos memorẽ, & gratã uoluntatem litte
rarũ aliquibus conſignatũ iri monumẽtis. Adhuc optimos meos cona
tus improba Fortuna remorata eſt: Cùm enim tãquã ex illis quotidia
nis fluctibus, ac immanibus procellis, Venetias, in portũ me recepiſſẽ,
accidit neſcio quo pacto, ut auaritiã librariorũ officere meis cõmodis
non minimùm, expertus fuerim. Adornabam ego ſcholia quaedam in
Pandectas, & Codicẽ Iuris ciuilis (quamquã illa Pandectarum, di
cis potiùs cauſſa, facta uiderentur, ad illa, quae erã ipſe longè grãdio
ra, nec non etiã grauiora, in Codicem collaturus) non tam ex meo ani
mo; cùm alia omnia curaturus, huc appuliſſẽ; quàm illorũ rogatu: eáq.
ſub nomine ueſtro ut apparerent, accingebar, cùm illorũ peruicacia,
qui cuicũque iniqui eſſe non uerentur, dum id efficiant, quod cupiũt,
me Siſyphi ſaxum mouere cõperi, ſi ex meo uoto correcta, & emenda
ta illa prodire ſtuduiſſem. Cùm autẽ impreſſio iam eſſet in medio cur-
ſu; eáq., quae ego Pandectis addideram, carptim relegere uoluiſſem,
errata, dictionũ numerũ exſuperare deprehendi. Quod mihi tam per
moleſtum accidit, ut ex eo penitus, illa uobis nuncupãdi, pluráue ijs,
quae impreſſa fuiſſent, praelo cõmittendi cõſilium abiecerim: tempus
fore ratus, cùm aliquid uobis dignius a me edendum eſſet, in quo uo
luntati meae, gratiam a uobis quamcumque ineundi, uel potiùs illam*

ueterem aliqua ex parte referendi, satisfacerem. Opportunè autem nunc, cùm hasce propositiones edendas intelligerem, in mentem uenit mihi quo pacto istud aes antè a me contractum, uobis aliísq. corā profiteri inciperem. Vobis igitur, Illustriss. praeterq. omnium mihi cariss. capita, Henrice, & Camille Caëtani, meam praeclari uestri beneficij memoriam nūquam intermorituram apud me, ac omnibus alijs, qui haec legent, apertè testatum uolo: Vobis, inquam, qui praeter eam nobilitatem, quam cum uita simul adepti estis, illam ingenij, praeclara doctrina cū prudentia cōiunctam, supremis quibusque in ecclesia Petri honoribus, ac praefecturis dignam nacti estis: digni igitur, quorū iudicio longè maxima ingenij mei, aliorúmq. meo nobiliorū, & exactiorum ingeniorum monumenta digna habeantur. quae sanè monumenta, si lucem ulla uidebunt (spero quidē adiuturos Deos) absque cunctatione aliqua, uestri aeris; quod magnum est; omnium primùm partem pendent. pēdéntq. fortasse citiùs, quàm uester putet animus, modò nobis faueat bona ualetudo, uirorúmq. illustrissimorum incolume sit beneficium; quorum in me magnum adhuc exstat & singulare, indiésq. cumulum suscipit; (CORNELIORVM inquam; in quorum aedibus biennium uersor, et eò ampliùs, tanta cū animi mei laetitia, mentísq. tranquillitate, dignitatis autem honorifica cōdicione, ut illā nobilitatem, quae lōgè maior est, quàm ut a me dici queat, haud uanam, nulliúsq. praeter nomen, esse momenti existimē: ea enim profectò cùm talis sit, et tanta, ut omnium in hac Veneta repub. familiarum splendorem exaequet, sexcentarum uerò aliarum, quae nobiles dicuntur, excellat; horum tamen animi magnitudini, & benignitati praeire nūquam potest. Qui fortunae, corporis, animíq. bonis aucti, perfectíq., uitae statum sortiti uerè dicentur illum, quem Peripatetici philosophi omnium felicissimum praedicarunt. Primùm enim si nobilitatem familiae in eo sitam esse uelimus, ut eò nobilior, quò antiquior, sit, quóq. uetustiores, instituto, & more maiorum, ciere patres possit, quae natu maior hac exstare cōperietur! Veneta enim resp. iā inde a primis illis pueritiae annis, supremos magistratus per

Corne-

Cornelios gessit, eadem firmiori iam nunc aetate, florentissimo statu, gentis eiusdem summos magistratus, purpurásq. cõtuetur. Iam uerò si dotes animi contemplemur, eam familiam esse certè hoc nomine amplissimam reperiemus, siue dignitatem spectemus familiarum, siue etiam praeclara in remp. Venetam merita. Maiores illius, hoc est huius urbis, & reip. conditores mitto; ij, qui nuperiores fuerunt, Cornelij tres Cardinales, omnes, dum uiuerent, primae notae uiri, Romaéq. in principibus Cardinalium, postremus uerò non tenui hominum opinione Card. ANDREAS, si morte praeuentus non esset, fore in Pontificatus apicem euehendus; & is, qui nunc Romae floret, huius familiae Cardinalis; isti inquam haud obscura fama sunt, uel quae indigeat testibus: uobis haudquaquam ignorantur, eóq. minùs Cardinali prudẽtissimo, doctrináq. omni cumulatissimo patruo uestro NICOLAO Caëtano: cuius apud Pontificem auctoritas tantùm ualet, ut ipsi carissimus, coniunctissimus atque intimus ex omnibus, ab omnibus, qui eum norunt, existimetur esse: quid dico existimetur! est quidem, si praeclaram prouinciam, & non nisi antea Pontificum arctissimo sanguinis uinculo coniunctissimis tradi solitam: quã, ex quo designatus Põtifex est, adhuc gerit frater uester, Romae inter aequales, animi atque ingenii dexteritate praestans, & belli, uirtute tum animi, tum corporis ex omnibus eximius, eóq. potissimùm nomine, praeter affinitatem, M. Antonio Columnae coniunctissimus, HONORATVS Caëtanus, si prouinciã, inquã, illã cũ animo consideremus. qua cũ dignitate multò, quàm cũ Honorato, praeclariùs actũ esse putem. quantum enim splendoris, quantum illi auctoritatis de iuuene illustrissimo, Romanaéq. ciuitatis nobilissimo, eius moderatore accessisse credam! Et ut a Cardinalibus discedamus, quis abunde GEORGII Cornelii fratris reginae Cypri, laudem, uel gloriam scriptis cõplecti, uel umquam fando satis explicare queat! Cuius liberalitas erga remp. maxima; regno Cypri omnium locupletissimo, quod tũ uiri morte ad Sororẽ erat deuolutum, illi elargito; numquã ex hominum memoria poterit obliterari. An uerò taceam hunc, apud

quem nũc moror, GEORGIVM, eius nepotẽ! cuius alias uirtutes praetereo, magnitudinẽ, ac generositatẽ animi nõ praeteribo: qui morte fratris, postremi, quẽ dixi, Cardinalis affectus, filiiq. JACOBI; cuius ĩgenij, atque animi uirtutes admirari praestat, quàm laudare; maximis utriusque morte, Cypriq. iactura mactatus ĩ fortunijs, eã tamẽ praesefert animi cõtinentiã, ut in aedibus eius desideres eos, qui mortui sunt, & quae illi abstulit fortunae aduersus ĩpetus; illã animi fortitudinẽ, cõstãtiã, grauitatẽ, liberalitatẽ nũquã desideres. uerùm haec mihi credi uelim, & illis, qui in eius aedibus quotidie diuersantur. illa uerò nullus ignorat; in rep. sua, maximis, & supremis magistratib. perfunctus: extra rẽp. cũ maximis, ac supremi gradus hominibus familiariter uersatus, ab iisq. in summo pretio habitus, maximè cultus, maximéq. nec vulgariter etiã honoratus. Qui tamẽ cùm indolẽ suorũ maiorũ referat omnẽ, nõ cõmisit ut aliã cõdicionẽ, naturámq. filijs impertiret, tũ mortuo, tũ autẽ de superstitib. maximo natu ANDREAE. is enim cùm omnẽ uirtutẽ animi diligẽter excolat, illã ingenij uehemẽter exercuit, linguis tũ Latina, tũ Graeca sanequã instructus, & philosophiae, ciuilísq. scientiae artibus & antea, & nũc maximè animi ardore incredibili, ac ingenij felicitate operam suam adiungens. Praetereo uirtutẽ feminarũ. illud dicã unũ, tãti fecisse Venetos CATHERINAE Corneliae, Georgij superioris, sororis pulcritudinẽ morũ, & corporis, ut quã Cypri regi collocarent, cõsortémq. illius regni facerẽt, solã hanc putarẽt, aliam praeterea neminẽ: specie quidẽ praeditã, quae sola imperio digna uideretur ex multis aliarũ familiarũ, et inter suae familiae tũ quae superiori, tũ quae hac nostra uigẽt, ac florẽt aetate, cũ multis communi, luminibúsq. ceu, ac stellis fulgentibus circumplexa. Quàm igitur affici laetitia debeã recipiendis beneficijs, nõ dico: quàm efferri gaudio, méq. dijs carũ esse existimare, tũ a uobis, tum ab hac familia, quã dixi, demeritus; ex ijs, quae cõmemoraui, nullum esse uobis dubiũ poterit: quantũ de me tandẽ officij, praestanti uestra deuincto liberalitate requiratur, quid me uobis dicere adtinet! gratias equidem quas potero, aliquas referre conari; id uerò praeter cetera decere me ualde,

de, ſenſi. Sed iã tẽpus poſtulat, ut ad id, quod de Teleſio noſtro narrare occeperã, reuertamur. Is igitur cùm ſecundã editionẽ adornaret, egóq. interea tẽporis eßem Neapoli, mirũ quàm illũ erga omnes humanitate inſigni praeditũ, & munitũ expertus ſim. neque enim erubuit, quae uiri comitas, ádq. ueritatẽ potiùs, quàm ad laudẽ inueniendã, propenſio eſt, quotidiano ſermone meũ de ſuis ſcriptis iudiciũ poſtulare; ĩmo ne cuiuſuis, etiam [illegible] ſententiã ſibi reliquã facere. Quid! etiã nũc (teſtes mihi ſunt tot eius ad me litterae; teſtis, mihi uenerandus uir, maximè reuerẽdus CAESAR Brumanus excellenti nõ minùs doctrina in Iure ciuili, & philoſophia, quàm nobilitate praeditus, omniúmq. humaniſſimus, qui tecũ, Henrice, Venetias profectus unà cũ Pontificio legato, Gallorũ Regis gratia mißo, nec-ignaro mihi, tamẽ eius ardens deſideriũ non ſemel declarauit) etiã nũc equidẽ, cùm tertia, eámq. poſtremã cogitat editionẽ, nouis de animaliũ generatione libris auctã, nullũ neque diligentiae, neque impenſae locũ dat, quò doctorũ omniũ de ſuis ſcriptis calculi cõpos fiat. Singularẽ uerò eius animi benignitatẽ quo ſcelere praetermittã! qui tam largus mihi fuit ſuorum dogmatum, cõſiliorúmq., ut aliquid, quod ipſe ſciret, quod me fugeret, latêre me uelle, nefas putaret; corrigíq. a me, ſenex a iuuene, ſi quid erraret, diſceréq. in illa aetate praeclarũ exiſtimaret. Cuius, pro eo àc ei debeo, quantum his temporibus fieri poterit, profectò illud nomen cõſecrabo omni genere monumentorũ ab omnibus ingenijs ſcriptorum, nedum ipſe lucubrationũ mearum, ſi proditurae ſunt ullae, perẽni memoria celebrabo. eúmq. haud erubeſcã cum quodam eleganti, & eximio iudicio, doctrináq. claro, mihíq. inprimis familiaritate coniuncto, philoſophorum antiquorum, & neotericorum cuique praeferre, donec eo praeſtantiorem, & ueriorem alterum inueniam. Interim autem quod a maximo imperatorum de maximo poetarum eſt dictum, id de maximo philoſophorum a Pygmaeo, minimóq. hominum dici, aequo animo ferant,

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur

Quemadmodum a me vos amati, ueneratiq. fuiſtis, eſtis, eritiſq. ſemper, Vos inquam, duo clariſſima totius familiae Caëtanae ſidera. Valete Venetijs. ∞DLXXV.

ERRATA LECTOREM REMORANTIA.

PRIOR NVMERVS POSITIONEM, ALTER, EIVS POSITIONIS VERSVM DESIGNAT.

Positione.1.11.prouidétia.83.1.orationis.210.3.methodo:non *&c.* 225. 1. praesensio. 245. *in margine* 1.post.245.1.Aristoteles. 277.3.hoc;Vtrum *&c.*367.1.Antoninus. 767.3.ut uocāt. 901.2.aequum.1114.3.quod.1115.7.intueantur. *mox* quod.1141.2.horum. 1298.3.eaedem. 1325.2.superposito.1414.4.donatae.1481.1.A diuerso.1503.4.materiae'ue.1535.4. contineantur; prima.*&c.*1673.2.prima corpora.1715.3.uisum 1749.2.consequitur.4.tum & 1756.2.dissimili.1800.2.habet.1839.calor.1898.2.praedito uiribus.1903.2.frigidior. *In oratione prima, fac.5.uers.6.*animum.

OMISSA

posit.379.2.*post* sociatam *adde* falsò 864.*in margine, post* illo,*adde* tit. *problemate* 264.*post* propriae, *adde* materiae. *quaedam alia longè supinior impressorum incuria uersum praeteriit in ultima Oratione, facie penultima, uers.* 16 *qui est* Dicaearchus, Eudemus, Plato quidam discipulus Aristotelis, Theophrastus.

XIIII

ANTONII PERSII
IN RHETORICIS
CONTRA RHETORES

ARISTOTELEM.
ZENONEM.
CICERONEM.
QVINCTILIANVM.
PRISCIANVM. ETC.

1 VM Deus ille princeps, parens rerum, fabricatórq. mundi, nullo magis hominem separarit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quàm dicendi facultate; rationem nobis quoque praecipuam dederit, eiúsq. nos socios esse cum Diis immortalibus uoluerit: quae neque tam nos iuuaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quae concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: Id magis deesse ceteris animalibus, quàm intellectum, & cogitationem quandam, uidemus. Quare si nihil a Diis oratione melius, nihil praestantius a prudentia accepimus, quid tam dignum cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus praestare hominibus, quàm quo ipsi homines ceteris animalibus praestant!

2 Iccirco prima liberalium studiorum non immeritò statuitur Grammatice, necessaria pueris, grata iuuenibus, iucunda senibus; dulcis secretorum comes.

3 Cuius artis studium non ignobile esse, uel inde cuique facilè palàm fiet, qui Graecos illos magistros, primùm Platonem, & Aristotelem, deinde Stoicos; ac denique Romanos, M. Teren

tium Varronem, M. Tullium Ciceronem, & C. Iulium Caeſarem contemplatus fuerit.

4 Cuius quidem materiam, ſermonem popularem, & patrium, hoc eſt, ſignificationibus notum, ponimus. Sermonem autem humanum intelligimus: Quem, ore editum articulatim ſonum, uariis uerborum formis diſtinctum, ad notiones animi diſtinctè; ita vt ab audientibus percipiantur; declarandas aptis, definimus.

5 Verumenimuero qui in Grammatice praeter rectum, & laudabilem ſermonis uſum, doceri uelint, falsò docent.

6 Et uſum prorsùs ea docendum ſuſcipit ex his quidem, non quae ſignificantur, ſed quae adſignificantur.

7 Grammatices igitur, puritatem ſermonis, & elegantiam, proprias ponimus: quae perſpiciuntur in ſingulis uerbis ex etymologia, in coniunctis ex ſyntaxi; quidquid Quinctilianus, Priſcianus, & alii dixerint.

a 1. De interpret.

8 Quòd ab Ariſtotele[a] nomẽ definitur, eſſe uox ſignificatiua ex arbitrio, ſine tempore; cuius nulla pars ſeparata ſignificat; nihil ad vſum grammaticum.

9 Et quòd addant, Finita, & recta; magis falſum.

10 Sed iam ad rhetores orationem noſtram conuertamus. Oratoris eſſe, de quacumque re ſibi propoſita, ornatè dicere: falſum.

11 Non de omnibus rebus poſſe dicere Rhetoricen: falſum.

12 Probationes eſſe proprias oratoris, Ariſt. dixit: falſum.

13 Accuſationem ſui amici, uel inimici non coram iudice factam, ad genus iudiciale reduci; ut quidam neoterici putarunt: falsó.

14 Animi cogitata, materiam eſſe artis Rhetorices: falſum:

15 Oratori tribuunt, in ſenatu debere dicere de rebus futuris: falsó.

16 Valere oratorem apud tyrannum: falſum.

17 Valere apud regem: falsó.

18 Apud optimates: falsó.

19 Valere

19 Valere apud paucos: falsó.

20 Qui ante nos de arte dicendi conscripserunt (inquit Arist.[a]) a 1 Rhet.
,, prout quandam eius particulam confecerunt. probationes
,, enim solae ad artem pertinent; reliqua uerò sunt additamen-
,, ta. falsò itaque Arist. ita copiosè, & extra artem in arte Rhetorica, de affectibus praecepit.

21 Rhetoricen, aut Oratoriam, artem esse: falsum.

22 Imitationem solùm ualere ad eloquentiam comparandam; ut quidam neoterici existimant; falsum.

23 Quinque partes Rhetorices Cic. & Quinctilianus fecerunt: falsó. nam tres sunt Dialectices propriae, scilicet inuentio, dispositio, & memoria, si hanc uelis etiam attribuere.

24 Elocutionem solùm in tropis, & figuris, propriam esse oratoris: falsum.

25 Quòd etiam Fabius cum Cic. confirmauit (oratorem nae perfectum, qui esse, nisi uir bonus, non posset, putauit): falsó

26 Potest enim, uel rhetoricis Quinctiliani artibus instructus abunde, qui tamen omnes uirtutes non habeat.

27 Persuadere esse finem, & perfectam, summámq. laudem oratoris: falsum.

28 Falsus Arist.[b] & qui eum sequitur Cicero, qui primùm in rhetoricis artibus philosophiam docuit; & ueteres reprehendit sophistas, qui de dialecticae inuentionis facultate nihil in Rhetorice praecepissent; quia non ad Rhetoricen haec adtinent. b 1. Rhet. cap. 1.

29 Falsò putant distinctionem in tria genera dicendi, graue, humile, mediocre, a uerbis tantùm sumi: sed ex rebus etiam ipsis puto.

30 At ista generum partitio, quibus oratorem definit, Rhetorices nihil est, nisi, quod subiecti proprium est, adiunctis rebus attribuit. Nec enim grauitatem, subtilitatem, mediocritatem orationis ex elocutionis ornamentis oriri dicimus; sed e rebus ipsis, quae elocutione tractantur.

31 *Tria Oratori uidenda esse*, ait Cic. *Quid, Quo loco, Quomodo:*

Solam igitur elocutionem, oratoris propriam facis? at falsum.

32 Cur hoc? quia primo quidem membro, inuentionem comprehendit, secundo uerò collocationem, tertio quid aliud, nisi elocutionem!

33 Includitur & actio. At non etiam memoria.

34 Sed quid si, uel Cicerone, eodem in loco, teste, inuentionem, & dispositionem, eloquentiae non esse propriam, probabimus!

35 *Ac duo prima*, scilicet, inuentio, & dispositio, *non tantùm insignia sunt ad maximam laudem, quàm necessaria; & tamen cum multis paene communia*, quando fortè his praestet elocutio, nónne? Vtique. at falsum.

36 Sed quid! ac si ipse statim non confiteatur nobiscum, illa duo ipsa, elocutione esse praestantiora; *& tamquam animi instar*, ait, *in corpore*.

37 Noscat ille orator; quem summum esse vult Cicero; argumentorum, & rationum locos: Quos, tres facit: cùm quidquid, quod in controuersia uersetur, in eo, aut Sít ne, aut Quid sit, aut Quale sit, quaeratur: imperfecta, & inutilis diuisio.

38 Sít ne, signis quaeri, Cicero putat: falsum

39 Quid sit, definitionibus: falsum

40 Quale sit, recti, prauíq. partibus: falsum.

Quin ex omnibus inuentionis locis quaestiones hae erui possunt.

a In parti. 41 Quid si hoc ipsum ex Ciceronis[a] doctrina probabimus!

42 Qui iudicium, & delectum, quem adhibere debet orator, alium a dispositione putant: falsum.

43 Falsus ergo Cicero, dum post inuentionem, de iudicio monuit: tum dispositionis artes explicauit, ac si iudicium, dispositionis non esset.

b 3. Rhet. cap. 16.

44 Prooemium, narrationem, confirmationem, perorationem, ut Cicero, & Arist.[b] dicunt, ueras esse partes orationis: falsum. nam confundunt artem inuentionis cum dispositione.

ſpoſitione. diſpoſitionis enim partes illae ſunt, non artis nec operis artis, qualis oratio eſt.

45 Ridiculus igitur Cicero, qui, cùm ex diſpoſitione ſola orationem diuiſerit in tot partes, de diſpoſitione nihil ferè praecipiat; ſed inuentionem antè traditam, pro diſpoſitionis doctrina, conturbet, & confundat.

46 *Caeterarum rerum, quae ſunt in oratore, partem aliquam ſibi quiſque uindicat: dicendi autem, id eſt, eloquendi maxima uix ſoli huic conceditur*: falſum: Ac ſi pronunciatio non aeque eſſet propria.

47 Multa genera elocutionis faciunt; philoſophorum, qui uerecundè dicunt, & molliter: quorum oratio Ciceroni caſta, uerecunda, & incorrupta uirgo uidetur; ſophiſtarum, qui ſuauiter, & argutè; hiſtoricorum, qui aequabiliter, & fusè, Poëtarum, qui numeris cùm ſint adſtrictiores, reliquis tamen generibus dicendi, licenter utuntur, & liberé: falſum: modò ſint illa omnia ornatus.

48 *Erit*; inquit Cicero; *eloquens is, qui in foro, cauſsisq. ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, & flectat*: falſum, & contra ſeipſum. non igitur de re omni, ut alibi ipſe docuit.

49 *Sed eſt eloquentiae*; ait Cicero; *ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia*; ex quo *quid deceat uidere in oratione, cognoſcitur*: & illud, *decorum*, appellat: niſi Dialecticen intelligat, falſum eſt; tametſi de ea uerbum nullum.

50 Zeno, Ariſtot. & Cicero uolunt, Oratoriam, & dicendi rationem latiorem eſſe; Dialecticen uerò contractiorem: falſum.

51 Quinctilianus[a] quinque Rhetorices partibus ita iudicium admiſtum arbitratur, ut ab his ſeparari doctrina, & praeceptis non poſsit: falsò; cùm ea doctrina Dialectices ſit propria.

a Lib.3. cap.3.

52 *Quae ad iudicem non ueniunt*; ait Quinctilianus, *aut*

prae-

praeteritum habent tempus, *aut futurum* falsó. nam etiam de re praesenti disputatio extra iudicia fieri potest.

53 *Praeterita*; ait Quinctil.; *laudamus*, *aut uituperamus*; *de futuris deliberamus*: falsó. An non etiam de praeteritis, & futuris, & quaerendi, & consolandi, & mitigandi, & terrendi, & alia innumerabilia agendi, offerri potest occasio!

54 Item *certa, ut cuique*; ait; *est animus, laudat*: falsó. nónne sine laude & uituperio tractari possunt illa!

55 *Ex dubijs*; ait; *partim deliberatur, partim lite contenditur*: falsó.

56 Locos communes, quos Quinct. & alii dictitant, esse in deliberationibus, & in aliis; falsó: sed omnes esse, & reduci ad locos inuentionis.

57 Exordii triplicem caussam reddit Quinctil. scilicet ut beneuolus, attentus, docilis fiat auditor: falsó. non enim proprium est prooemii.

58 *Omnis probatio*; ait Quinct. *artificialis constat aut signis, aut argumentis, aut exemplis*: falsó: quasi et exempla, & signa argumenta non sint.

59 Non sunt profectó. *nam signa*; ait idem; *non inueniuntur ab oratore*; *sed ad eum cum caussa deferuntur*. erunt itaque in artificialia: cur itaque partes artificialium! falsum igitur.

60 *Signa*; ait Quinct. *siue indubitata sunt*, *& non sunt argumenta*; *quia ubi ea sunt*, *quaestio non est*: *siue dubia*, *& non sunt argumenta*. *quia ipsa argumentis egent*. falsum. quia quantò magis quaestionem arguunt, tantò magis argumenta sunt; uel etiam ex argumenti definitione eiusdem.

61 *Argumentum*; ait Quinct. *est ratio*, *probationem praestans*, *qua colligitur aliud per aliud*; *& qua quod est dubium*, *per id*, *quod dubium non est*, *confirmatur*: falsum. nam haec definitio alii conuenit.

Quinct.

62 Quinct. iudicat, nullam dispositionis artem in omnes materias certas tradi posse: falsó: nam pronunciati, syllogismi, & methodi artificiosae certa doctrina est.
63 Quinct. inuentionem non imitabilem existimat: falsó.
64 Tres constitutiones rhetores sibi tribuunt, facti, definitionis, & qualitatis: falsó.
65 Hypothesis ergo, quae coniectúra tractatur, non pertinet ad rhetorem? pertinet; at non duae reliquae.

ANTONII PERSII

POSITIONES PRO RHETORICA FACVLTATE.

66 CVM duae sint uniuersae, & generales homini dotes a natura tributae, ratio, & oratio; illius doctrina, Dialectice est, huius Grammatice, & Rhetorice.
67 Dialectice igitur generales humanae rationis uires in cogitandis, & exponendis rebus persequitur: Grammatice orationis puritatem in etymologia, & syntaxi, ad rectè loquendum, uel scribendum interpretetur.
68 Rhetorice orationis ornatum tum in tropis, & figuris, tum in actionis dignitate demonstret.
69 Non itaque Rhetorice ars est; ut Ciceroni, & Quinctiliano placuit; praesertim quae omnes animi uirtutes explicet.
70 Sed quid! nónne eadem est oratio, quae & purè, & ornatè, & sapienter, & loquatur, & dicat, & sentiat? Eadem profectó.
71 Rectè igitur Cicero, ac Quinct. qui de his omnibus praecepe runt? Minimè gentium.
72 Nec, si illas uirtutes necessarias oratori, concedamus esse, uera Cic. Quinct. & ceteri dixerint.
73 Itaque neque ipsam philosophiam moralem Rhetorices partem,

tem, neque ipſam Rhetoricen omnino virtutem moralem eſſe teneamus.

74 Itaque Rhetoricen perfectionem ex ſe habere, tenemus, & propriam.

75 Nec, ſi concedamus, ad perfectionem maiorem artis, eſſe neceſſarias alias ſcientias, ideo ex illis conflari, eiúsq. illas eſſe partes, umquam concedamus.

76 Cùm autem mentis interpres ſit oratio, &, mediis conceptibus, res etiam, quarum ſenſus animi, ſpecies gerunt, ſignificet, ut ceterae, hominum quae conſilio fiunt, operationes; finem aliquem & ipſa habebit.

77 Sermonis itaque finis erit, animi ſenſa aperire.

78 Rhetorices autem partes duas ponimus, elocutionem, & pronunciationem.

79 Elocutio uerò eſt exornatio orationis; quam in tropis, & figuris conſiſtere ponimus.

80 Tropum uerò dicimus, elocutionem, qua uerbum a natiua ſignificatione in aliam tranſmutatur.

81 Quem neceſſitas genuit, inopia coacta, & anguſtiis. plura enim rerum genera, ac negotia, quàm uocabula.

82 Nec negamus quin poſtea delectatio, iucunditásq. celebrauerit.

83 Figura uerò eſt elocutio, qua rationis habitus a recta, & ſimplici conſuetudine mutatur.

84 Et quidem vt t ropus eſt ſingularum vocum, ſic figura coniunctarum eſt.

85 Vtq. vocum alia eſt propria, alia modificata, ſic orationum alia recta, alia figurata.

86 Pronunciatio verò, alia Rhetorices artis pars, nihil aliud eſt, quàm ornata cogitationis enunciatio.

87 Cùm autem quidquid eſt artis, qua memoria poſſit adiuuari, ordo, ac diſpoſitio rerum ſit; qua quid primum, quid ſecundum, ac tertium, animo cernamus: ordinis uerò ſola dialectica diſpoſitio doctrina ſit, ab ea ſola memoriae praeſidium, & ſub-

& ſubſidium peti poteſt.
88 Ergo ut inuentionem, & diſpoſitionem, ſic memoriam Dialectice attribuere uerè poſſumus.
89 Nec, ſi praecepta memoriae, Dialectice tribuo, ideo memoriae uſum, communem eſſe multarum artium, non exiſtimo.
90 Quinimmo omnium non modò artium, ſed quarumuis aliarum rerum, quae in hominis ſenſum, aut intelligentiam cadunt, memoriam eſſe communem.
91 Docere uerò cùm inuentionis ſit, quae Dialectices propria eſt; ex qua etiam delectandi, & mouendi reliquae partes emanant copioſiùs fortè, quàm ex elocutione; inuentioni omnia ſubiiciam.
92 Neque tamen infitior, ex illis oratoris officiis eſſe tot genera dicendi; ſubtile in docendo, mediocre in delectando, graue in flectendo; & has in actore cauſſarum ſummas, & ſingulares eſſe laudes, confirmo. Quod autem oratori, id eſt, vnius artis homini, infitior planè, ac pernego.
93 Trium dicendi generum partitionem ex decoro deducũt, cuius admonitio, quid cuique opus ſit, quid conueniat, quid deceat, tametſi eſt in omnibus artibus, immo in omnibus dictis, & factis neceſſaria, eius tamen conſilium, & doctrina (ſi decori conſilium ullum, ſi doctrina eſt ulla propria) dialecticae inuentionis, diſpoſitioníſq. propria eſt.
94 Nam ſi decori, rationem rhetorcicae artis eſſe putas, neceſſe eſt ſanè, ut referas ad aliquam earum partium, quas Rhetorice tribuis. quod cùm nec pronunciationis, aut memoriae, aut elocutionis uideatur eſſe proprium, decorum inuentioni, aut diſpoſitioni tribuamus oportet.
95 Sed ſi uſum, & in ſingulis rebus peritiam, ac paediam decorum hoc afferre, teneamus, meliùs dicemus.
96 Non itaque audiendi ſunt illi, qui exiſtimant, aliud eſſe rhetoricum, aliud dialecticum iudicium. Vnum eſt enim hominis iudicium, ad quoduis aeſtimandum, utrum uerum, aut fal-

ſum; quod enunciatione, quod ſyllogiſmo, quod methodo praeſtatur.

97 Quas itaque quinque partes, officia, ſeu membra judicialis cauſſae faciunt, ſcilicet prooemium, narrationem, probationem, refutationem, perorationem, omnium quaeſtionum cõmunia facimus; quae omnia ex dialectica methodo ducimus.

98 Nihil dicitur ſine ratione, hoc eſt dialectica: ſine exornatione, id eſt, rhetorica, plurima dicuntur.

99 Et ſanè de tribus artibus communibus, Grammatice, Rhetorice, & Dialectice, anguſtiſſima eſt Rhetorice.

100 Dialectice itaque latiſſimè omnium pateat, tum Grammatice proximè ſequatur; poſtrema ſit Rhetorice.

101 Quare Zenonis Stoici manum nihil pertimeſcas; uel ſaltem aequalem Rhetoricen Dialectice, cum Platone teneamus.

a 1. Rhet. c. 3.

102 Si itaque uel Ariſtot.[a] & Cic. teſtimonio, deliberatiui generis utilitas, & detrimentum, eſt finis; in iudiciis uerò aequum, & iniquum; ex humanis igitur rebus publica omnia, ex priuatis uerò iuſtum, & iniuſtum tantùm.

103 Hoc pacto non omnes res materiae erunt oratoris.

104 Aliarum itaque uirtutum, uitiorúmq. proprietates, praeter iuſtum, & iniuſtum, non tractabit orator? minimè, iuxta iſtos.

105 Quin & alia, quae cùm artium ſunt propria, tum & humanorum actuum, omnia ab oratoris puluere aliena uideri debent.

106 Quare nec naturalia: minùs etiam mathematica.

107 Nec fortè de intellectu diſſeret? Nec de intellectu, nec de animo, nec de Ideis, eóq. ſecius de Deo ipſo.

108 Quid ſi hoc ipſum, Ciceronem, in perſona Craſſi, ſenſiſſe fatearis!

109 Nullam itaque partem, Rhetoricen habere in argumentis, tenemus. Ergo probationes non ſunt propriae Rhetorices?

torices?

110 Quid,ſi hoc eſſe Ariſt.[a] placitum,demonſtrem. a 1. Rh. c.1.

111 Fortè igitur proprium oratoris,permouere? Nequaquam. quia Ariſt.extra artem videtur potiús.

112 Pronunciationem igitur propriam oratoris eſſe dicimus; ſed nec ſolam.

113 Iudiciale genus ex accuſatione,& depulſione fit,aiunt.ſub iudiciali tamẽ genere non reducuntur,nec coeleſtia,nec naturalia,ex his inferioribus,nec humana,niſi ea tantùm, quibus damnum,vel iniuria illata eſt: quae reficere debet iudex.

114 In iis itaque omnibus,in quibus neque vim, aut dolum cadere poſſe videmus,ex quibus damnum, vel iniuria oriri ſolet; iudiciale genus locum vllum habere,negandum.

115 Ex tribus conſtitutionibus, facti ſcilicet, definitionis, & qualitatis, vnam tantùm, quae facti eſt,rhetorum propriam eſſe remur.

116 In reliquis verò duabus Ius ciuile uerſari, quiuis animaduertiſſe debuit.

117 Rhetores verò haec tamdiu tractarunt, & pro ſuis ſemper venditarunt: Quare pluſquam centenaria praeſcriptione,ſua feciſſe,ſaltem videri debent.

118 At non aequo iure,ſed uel ui, uel clam, uel certè praecario ab iis aliquandiu poſſeſſa, occupatáq. fuiſſe, cuilibet videri debet.

119 Controuerſias itaque naſci uel ex iure, uel ex ſcripto, vel ex verbo,tenendum;& has nullo pacto ad rhetores,ſed ad iuriſconſultos pertinere,fatendum.

120 Et ex iure, cùm aut aequitas cum iure, aut ius ſcriptum cum non ſcripto contendit.

121 Ex ſcripto verò,cùm aut ſcriptum, ideſt,locutionis genus ambiguum eſt: aut ſententia cùm ſcripto comparatur,aut contraria ſcripta reperientur.

122 Ceterùm ex uerbo,cùm id, propter ipſius ambiguam,ancipitémq.ſignificationem definitione aperiendum eſt.

123 Alia igitur erit controuersia, quae ex verbo, & alia, quae ex scripto? quid ni!

a 1. Rhet. cap. 4.

124 Cùm deliberatiuum[a] genus sit illud, quod publicum respicit utile, ac damnum, quaecumque sunt uel diuina, uel humana, & priuata, quae huc non respiciant, extra hoc genus esse constat.

125 Demonstratiui autem generis finis honestum, & turpe, assignantur a primis magistris: cuius proprium, cùm sit laus, & uituperatio, quae non, nisi ad ea, quae bene, aut malè ex scientia, & electione operentur, dirigatur, paucarum, & non omnium rerum amplectitur campum.

126 Laudis enim subiectum uirtus est, ut uituperationis uitiū. quod uel ex fine eiusmodi generis manifestè patet, quippe cùm honestum, & turpe tantùm, sit materia demonstratiui. Sed illud aduertendum, quod Cic. negat, genus hoc, oratoris esse proprium.

127 At fac haec genera, iusti scilicet honesti, ac utilis, oratoris esse, nón ne circa determinatum genus uersabitur? Ita.

b 1. Rhe. c. 1. & 2

128 At Arist.[b] tamen dixit pluries, nullum Rethoricen habere determinatum genus.

129 Non omnes itaque res modò erunt oratori subiiciendae? Sed neque tria genera, ab his ei attributa. Quin Moralis propria esse, uideri possunt.

130 Rectè itaque, oratorem nullum genus, ac materiam nullam habere, dictum sit.

131 Si oratoris proprium est, de re probabiliter dicere, & de una etiam in utramque partem dicet; uel indoctus, uel deceptor esse uidebitur. non itaque uir bonus, ut Quinctilia. uoluit.

132 Cur hoc? Modò si ad lucrum, vel ad uictoriam caussam dicet, quod maximè in iudiciali genere obseruamus.

133 *Nam & apud eos dicimus*; ait Cic.; *qui nesciunt, & ea dicimus, quae nescimus ipsi: itaque & illi aliàs, aliud iisdem*

de

de rebus & sentiunt, & iudicant; et nos contrarias saepe caussas dicimus.

134 Non etiam deliberatiuum genus oratori tribuendum, neque apud paucos, neque apud tyrannum: ad quos loqui de iusto, uel de iniusto non ualebit.

135 Cur hoc? Quia finis deliberatiui generis, est utile publicum, quod tyrannus sibi tribuit.

136 Quid, si orator uelit tyranno utile persuadere? non admittet eum, nisi ad aures dicentem, tyrannus. Etiam iudiciale genus ablegabit hoc pacto? Esto.

137 Orator tamen valebit in regio statu? Nullatenus; praesertim si optimus sit rex, qualem describit Plato.

138 Sin minus? Tantundem. nam secretum habebit consilium, in quo non, nisi de rebus arduis, summissis uocibus, deliberatur.

139 Coram optimatibus? Neutiquam.

140 Quid! optimatibus opus est persona eius, qui nescit ipsemet quod exclamat!

141 Fortè in statu paucorum? Multò minùs: quippe qui, instar tyranni, quidquid eis placitum est, id exsequuntur.

142 Oratori tamen illum locum non denegabimus, quem obtinuisse uel Cic. testatur, apud indoctam plebem, seu apud rem pu., quae non legibus utitur scriptis.

143 Rectè itaque Cic. *haec una res in omni libero populo, maximè in pacatis, tranquillisq. ciuitatibus praecipuè semper floruit, semperq. dominata est.*

144 Oratores, qui in iudicio caussas dicunt, ab iis, qui in senatu aliquid deliberandum proponunt, diuersum genus, ac seiunctum ponimus.

145 Neque enim dubium est, multas fuisse respublicas, quae sine alterutro gubernarentur, ut scilicet in iudicio oratores non receperint, in senatu, ac in deliberando, admiserint.

146 Rectè itaque in ciuitatibus, quae scriptis legibus utuntur,

minùs uigent oratores, & docti etiam praeficiuntur iudices.

147 Ceterùm, cùm omnium ferè rerum ueritatis contemplatio haberi potest, earundem recta ratio dicendi acquiri debet.

148 Ergo & si sine ueritate, Oratoria haberi non potest, nisi ridicula; Rhetorice de omnibus rebus dicet, & praecipiet.

149 Vnde Rhetorice omnino ars erit bene dicendi, non in iudiciis modò, ceterísq. publicis coetibus, uerùm etiam in priuatis congressibus, eadem de magnis quibusque rebus, & paruis.

150 De omnibus ergo rebus Rhetorice Dialectice erit ἀντίστροφος cùm ambae in eiusmodi rebus sint, quae a cunctis hominibus quodammodo cognosci, atque intelligi possunt. quod Aristot. rectè dixit.

151 Nec item sunt in aliqua definita, ac certa scientia, quod & idem dixit recté.

152 At dixisti, non rectè ab iis factum, qui Rhetoricen, de omnibus rebus praecipere, dicant: quod ab Arist., & Cic., aliisq. dictum esse, compertum est.

153 Verùm si ad duo genera tantùm, uel ad tria cum eo, quod Arist. addidisse fertur, eam restringamus, non recté.

154 Quid itaque? Duplicem esse Rhetoricen, statuamus oportet.

ANTONII

ANTONII PERSII IN DIALECTICIS

CONTRA DIALECTICOS.

ALBERTVM	CHRYSIPPVM	PORPHYRIVM
ALEXANDRVM APHROD.	CICERONEM	SCOTVM
AMMONIVM	DIODORVM	SIMPLICIVM
ARISTOTELEM	EPICVRVM	THEMISTIVM
AVERROEM	EVDEMVM	THEOPHRASTVM
BOETHVM	PHILOPONVM	ETC.

155 DVO sunt uniuersa Deorum munera (ut dictum est) hominibus tributa; unde alia ferè omnia profecta sunt: ratio, & oratio. Rationis uerò doctrina Dialectice est; Ideóq. quidquid rationis, ac mentis proprium fuerit, quod sine ratione tractari, & exerceri non possit, id propriè Dialectice adtribuendum esse censemus.

156 Ceterùm huius artis non pars quaedam (ait Aristoteles[a]) a 2. Eléch.
» antè inuenta, & elaborata erat, pars altera minùs explanata;
» sed omnino nihil in eo genere adhuc ab aliis traditum exstabat:
» Vnde nihil habere de hac arte disserendi, quod aliis acceptum
» referat; sed se ipsum inuenisse fatetur: falsum.

157 Quid! Zenonis Dialectice nónne ex Platonis Parmenide, Sophista, & Politico innotescit!

Zeno, inquam, Eleates, ex Elea, Lucaniae ciuitate, inuentor Dialectices perhibetur. Gaudeant ergo Itali philosophi; Nos autem omnium maximè, qui conterranei sumus eius. b ut Iāblicus, & Boëth. in Arithm.

158 Sed si Archytas Tarentinus; ut a nonnullis; [b] categoriarum auctor fuisse traditur; uel harum, uel aliarum sit, conuincitur tamen mendacii Aristoteles.

159 Vt eodem nomine sit, cur Itali, primi Dialectices magistri ueriùs dici debeant; & ex Italis nostrates Tarentini.

Quid

160 Quid si earundem auctor fuerit Eudoxus Cnidius! quem secutum Aristotelem, sunt, qui memoriae prodiderint.

a 13. Phi.

161 Sed cur Socrati idem Aristoteles,[a] definiendi, & diuidendi laudem tribuit, si ipse primus inuentor!

162 Demonstrationem esse finem Dialectices, Philoponus, & Graeci cum aliquot Latinis putarunt: falsum.

163 Quid! quod unius est partis tantùm, & ad fortuitum euentum alligatur, uniuersae fecerunt, & artis potestati subiecerunt.

164 Qui etiam definitionem, ut Auerroës; finem dixerunt, & alii, eodem premuntur incommodo.

165 Qui eius subiectum, Argumentationem; ut Albertus cognomento Magnus; posuerunt: falsum.

166 Item qui, Syllogismum; ut Scotus: falsum.

167 In posterioribus analyticis quattuor quaestionum genera agnoscuntur, An est, Quid est, Quia est, Propter quid est; ad medii inuentionem: falsó. cùm una communis sit inuentio medii; & ad multò plura, quàm hae quaestiones, se extendat inuentio.

168 Triplicem Logicen faciunt, demonstratiuam, dialecticam, & sophisticam: falsó.

169 Quid ais! Alexãder, Themistius, Porphyrius, Ammonius, Simplicius, deinde infiniti interpretes & Graeci pariter, & Latini, & Arabes, & omnium toto terrarum orbe scholarum magistri errarunt! Quid tum!

170 At nón ne enunciatum datur, quod sit apodicticum, dialecticum, sophisticum? Immo inde syllogismus apodicticus, dialecticus, sophisticus, sed non Dialectice.

171 Genus esse, quod de multis, & differentibus specie, in quaestione, Quid est, dicitur a Porphyrio, & Aristotele: falsó.

b 1. Phy. c. 2.

172 Quid! nón ne idem, specie differre dicis, quod ratione, & „ forma? Hoc ipsum dicit Aristoteles. b

173 At homonymia uerbi, Speciei, fallit: quia species logica cùm definitur a Porphyrio, esse, quae generi subiiciatur; hîc

non pro logica ſpecie, ſed pro forma, poſita eſſe uideri debet.

174 Agnouit tamen Porphy. genus eſſe alicuius genus, & ſpeciem eſſe alicuius ſpeciem; at non pariter utrobique relationem uſurpauit, definiendo.

175 Ediſſere clarius. Faciam: nónne ſpeciem logicam, partem generis uis eſſe, cùm eam definire uelis? Eſto, at in generis definitione, uerbum Speciei, non pro ſpecie logica, ſed pro cauſſa formali uſurpat Porphy.

176 Ergo quaelibet duo different ſpecie, quia forma different, cùm omnium rerum ſua, & propria forma ſit; qua res eſt, id, quod eſt, & differt a ceteris rebus. ſuperfluè itaque in definitione generis.

177 Niſi uelis ſpeciem, ſpecie differre a ſpecie. Rides!

178 Quod autem genus dicatur in quaeſtione Quid eſt: falsó: non enim generis proprium hoc; quin potius definitionis: in cuius tamen definitione neque ponitur.

179 Ac ſi non expreſsè Ariſtoteles diceret quaeſtionem, Quid eſt, non genere, ſed definitione argui, & explicari.

180 Quid, ſi numquam interrogaretur Quid eſt, non eſſet genus? Aduenticium itaque, & externum.

181 Speciem eſſe, quae praedicatur de pluribus differentibus numero in quaeſtione, Quid eſt: falsó. licet Ariſtoteli alibi quidquid differat aut genere, aut ſpecie differre uideatur. ideo numeri haec differentia reiicienda eſt.

182 Quae igitur indiuidua uocantur, non differunt numero? Minimè gentium.

183 At ſingularum ſubſtantiarum formae, vt puta, Socratis, & Platonis; aliter, quàm accidentibus, explicari non poſſunt: verùm non ob id ſequitur, formas eſſentiales diuerſas non eſſe: quas tamen ferè in omnibus rebus philoſophi, ſe ignorare, dicere non erubeſcunt.

184 Quae item de homonymis, ſeu cognominibus, de polyonymis, ſiue multiuocis, quaſi uoces eſſent, dicuntur ab Ariſtote-

le: falsó. Ita etiam de ſynonymis, ac amphibolis, ſiue ambiguis; quae Voces rectiùs dicuntur; a Grammatice peti debent.

185 Singulares, & indiuiduas eſſentias, primas & principales appellat Ariſtoteles, ſpecies autem, & genera ipſarum, ſecundas ſubſtantias, eáſq. primis inferiores, ac minores: falsó.

186 Veriùs Plato; qui docet, Deum, Deíq. aeternam ſapientiam, Ideas, genera, ſpeciéſq. rerum complexam uerè eſſe.

187 Contrà uerò, ſenſibilia omnia, quae ab Ariſtot. primae ſubſtantiae nominantur, cùm oriantur, & intereant in dies, uel in horas potiùs mutentur, uerè non eſſe.

188 Subſtantias haſce indiuiduas, ſolas uerè eſſe, ſolas principaliſſimè, primò, maximè eſſe; & iis ſublatis, nihil aliorum remanere: falsó.

189 Non itaque Deus Opt. Max., neque angeli, neque hominum animi ſubſtantiae erunt, immo nihil prorsús. Atheus erit ergo Ariſtoteles.

190 Erunt itaque Ariſtoteli indiuidui homines omni homine principaliores, magíſq. ac ueriùs, quàm omnis homo.

191 Quid! nónne accidit, ut Plato omni homine ſit praeſtantior!

192 Ac ſi non uniuerſae hominum naturae gratia ſinguli creati, conditíq. eſſent homines, ſed alicuius hominis gratia, uniuerſa hominum natura.

193 Scias itaque omnino partem propter totum, non autem totum propter partem eſſe factum. rectè ergo hoc animaduertit Pletho Conſtantinopolitanus in Ariſtotelem.

194 Subſtantiam diuiſit in primam, & ſecundam Ariſtoteles, & in logico organo tractauit: falsó. non enim ad logicum ita pertinet, tametſi de cauſſis, ad logicum tractare pertineat, modò pro eſſentia reí cuiuſque intelligatur: ſed ita non erit a ceteris nouem diſtincta.

195 Oratio Aristoteli est quantitas: falsó.

196 At nónne syllaba longa, breuíq. ponderatur? Ita: sed ideo longa oratio, uel breuior, quia uel duo, uel unum habet illa tempora. tempus itaque erit caussa orationis longae, breuísq.

197 At tempus per se, quantitas minimè est. minùs oratio igitur. Quare cur oratio non sit potiùs actio, non uideo: cur etiam, ut aliquando qualitas oratio sit dicenda, nil pertimescendum.

198 Relata ponit Aristoteles unum ex decem categoriis: falsó. ubi agnoscis generalissimum, subalternum, & specialissimum, ut in ceteris opus est reperire!

199 Eodem quoque modo Aristoteles qualitatem, unum ex Decem facit: falsò; & eodem morbo laborat; modò si catego ria est homogeneorum per generalissimum subalternum, & specialissimum.

200 Ita sit, quid inde? Quia qualitas per habitum, dispositioné, potentiam, impotentiam, passionem, & patibilem qualitatem, figuram, & formam &c. talis descriptio non est. Hae enim spe cies homogeneae non sunt, nec unius generis proximi, cùm sit in unaquaque categoria, sua qualitas ex differentiis.

201 Non ergo unum, hoc pacto ex Decem? Si qualitas est, secun dùm quam Quales dicimur, substantiae erit una qualitas, alia quantitatis, alia relationis, actionis, passionis, &c. quae omnes cùm homogeneae non sint, haec categoria ab aliis distincta minùs esse debet.

202 Quidam, qui in cellula nobiscum disputantes, conuincere uolebant, contraria tantùm pro specie contrarietatis apud Aristotelem accipi: falsó. 

203 Non ergo solùm contraria in genere [a], accipi apud Aristotelem, demonstrauimus, sed etiam antiphaseωs nomen; quod proprium est contradictionis; pluries communiter pro omni affirmationis, & negationis oppositione usurpari apud Aristotelem, ostendimus,

[a] ut etiã Cic. uertit.

204 Non homo, Aristoteles uim nominis non habere existimat: at infinitum nomen uocat, cuius generis nomina neutra solent appellari: falsó. nam haec, Negata, dici tenemus.
205 Item Aristoteles nominum, ac uerborum casum, nec nomina, neque uerba nominat: falsó.
206 Nominum igitur casus in syllogismo esse rectè poterit; Quid si hoc disputauit, & uoluit Aristoteles!
207 De nomine, uerbo, oratione tractat Aristoteles in Dialectice: falsó. non enim de his ad dialecticum, sed ad grammaticum, vel rhetorem.
208 Nec nos moretur scholasticorum distinctio, quò ad modum considerandi, haec plurium esse artificum.
209 Nón ne Dialectices finis est unicus, & perpetuus? Ita; bene ratiocinari.
210 Quid igitur aliud in nomine, & uerbo, & oratione, quàm purum sermonem spectamus? Rationem quoque. At in argumento, propositione, syllogismo, & methodo non qua nomina.
211 Coniunctio itaque, harum artium confusionem generauit, usus tantùm coniungendus, non praecepta.
212 Has propositiones, Aliquis homo currit, Aliquis homo nō currit (quas subcontrarias vulgò dicunt) sub oppositionis genere collocant: falsó. has enim alicuius contradictionis nomine, minùs uenire posse tuemur.
213 Homo est albus, Homo non est albus (quas infinitas vocant) esse contrarias: falsó. non enim contradictionis nomen, nisi abusiuè, conuenire potest.
214 Meritò itaque hoc ipsum reprehendit ante nos Georgius Graecus.
215 Omnis homo albus est, Aliquis homo albus est; & contrà, Nullus homo albus est, Aliquis homo non albus est (quas sub alternas uocant) etiam in numero oppositionum ponunt: falsó.
216 Disiunctionem ex contrariis, ueram esse, negantes; ut Cras
Cleon

Cleon uiuet, aut non uiuet: falsò; ut Epicurus.
217 Ergo Chrysippus quoque deceptus est, cùm sic ageret pro fato, Necesse est, omnem enunciationem ueram esse, aut falsam. Ergo in contradictione rerum enunciatarum pars altera necessariò uera, pars altera necessariò falsa erit!
218 Quin Diodorus contra Chrysippi fatum agens, si praescientia esset, omnia uera necessaria, omnia falsa impossibilia, existimauit: falsó.
219 Quin & Cicero etiam ipse; qui horum sententias examinare, ac disceptare uoluit; eo relabitur, ut alteram contradictionis partem esse necessariò veram, alteram necessariò falsam, existimet, foedè, & turpiter lapsus: nisi corruptum Ciceronis librum, defendamus.
220 Si contingens futurum, iam uerum esset, esset quoque ne-
» cessarium, ait Aristoteles: falsó.
221 Non itaque erit fortuitum, non vtrumlibet, non contin-
» gens: Neque deliberare itaque, neque negotiari oportebit.
» Non sequitur: Aristoteles homonymia nos fallit.
222 Sed an uerum est contingens futurum? Erit, cui uerum.
223 Si uerum fuit, semper uerum fuit; si semper uerum, non po
» test id non esse, neque non fore: quod autem non potest non
» fieri, necesse est fieri. quapropter si uerum est, est etiam neces-
» sarium. Deliras secundo, & quinto gradu.
224 Ac si omne uerum esset immutabile!
225 Vides quòd nulla ex Aristotele praesentio futurarum rerum relinquitur Deo, neque prouidentia. Apage.
226 Syllogismus; ait Aristoteles, a Boëthus, b alii; est oratio, in qua quibusdam positis, quoddam ab his diuersum, ex necessitate, accidit, eò quòd haec sunt: falsum. non enim proximum genus est oratio. a 1. pri. b Lib. 2. de syll. cat.
227 Quin externum est rationis symbolum, nec essentiale syllogismi quidquam.
228 Cur ita? Quia syllogismus non ad externam, & prolatam orationem, sed ad intimam animi rationem spectat.

Quid,

229 Quid,ſi dicatur ſyllogiſmus,ratio? Nihil minùs. Quamobrem? Quia nihil proprium afferetur;cùm rationis nomine, tota logica & inuentio, & diſpoſitio contineatur.

230 Quin etiam differentiae non rectè hìc adiectae uidentur, cùm nec exprimantur quae ſint illa quaedam poſita, & quid ſit,quod ab iis diuerſum accidit.

231 Quid! potéſt ne concluſionis neceſſitas aliunde concludi, quàm ſyllogiſmo? Ita ait Ariſtoteles.

232 Sed non ignorat,concluſionis neceſſitatem, eò quòd antecedentia ſint,poſſe accipi ex rerum cum ſequentibus neceſſaria cohaerentia,quandoque,& non ſyllogiſmo.

233 Ariſtoteles non ſolùm ſe nominat Logices inuentorem, ſed perfectorem etiam: falſum.

234 Quid! ac ſi quae de enunciatorum coniunctorum materia, & contradictionis,iudiciiq. modo, in Ariſtotelis philoſophia fuiſſent ulla.

235 Non igitur, Ariſtotelis aetate, Logice de compoſitis, & enunciatis, & ſyllogiſmis erat inuenta? Non utique.

a lib.1.de ſyll.hyp.

236 Hanc enunciati ſpeciem,hypotheticam uocat Boëthus:[a] falſum.

237 Ac ſi non eſſent aliae compoſitae enunciationes, praeter condicionales.

238 Sed quid! Ariſtoteli nón ne ὑπόθεσις eſt quaelibet enunciatio,quae pro uera ponitur,ſeu ſimplex,ſeu compoſita,ſeu connexa,ſeu diſiuncta!

139 Non itaque rectè Theophraſtus,& Eudemus, nec e Latinis primus Boëthus,ſyllogiſmi differentiam e propoſitionis hypotheſi petiuerunt, dum ſyllogiſmum hypotheticum nominarunt.

240 Hypotheſeως enim nomen generale eſt; & propoſitionis, non argumentationis,& ſyllogiſmi, nomen eſt.

b 1.pri. c.22.

241 Falsò itaque ab Ariſtotele[b] iudicatum,nullam,praeter ſimplicem,ſpeciem ſyllogiſmi eſſe.

242 At Ariſtoteles ibidem, hoc ſyllogiſmo connexo utitur.

tur. Verum.

243 Et hoc magis mirabile est, ne dicam, ridiculum.

244 Falsò itaque syllogismi partitio non modò omissa, de simplicibus, & coniunctis syllogismis, sed in simplicium figuris omnes syllogismi falsò positi.

245 Quòd uerò rhetorum, seu oratorum, Aristotelis, [a] & alii credidere, esse exempla & enthymemata, logicorum verò syllogismos, & inductiones: falsum, & commenticium. a 1.pol.1. & 1.Rhe.

246 Vsus enim, & experientia, Aristotelis principia, contrastant; ac si in oratoribus pleni syllogismi, plenae inductiones non minùs, quàm in Platone, & Aristotele, non inueniantur.

247 At scio; fortè non discitur in gymnasio, & exercetur, quod seriò postea tractandum sit in foro!

248 In demonstratione; aiunt; duplicem esse praenotionem, & anticipationem Quid, & Quia: falsó.

249 Non enim ad solam demonstrationem spectant, cùm hae praecognitiones communes sint omnis ratiocinatiuae scientiae.

250 Nec uerum & illud, ut axioma, & triangulus una praecognitione praecognoscantur.

251 Vtramque igitur requirunt? Vtramque.

252 Quid, si hoc dixerit etiam Aristoteles!

253 Nónne principium manifestum, ut propositio, assumptióq. pateant, omnis syllogismi commune!

254 Quaestio Memnonis (aut enim nihil discet, aut quae nouit)
» ait Aristoteles; contingerit, nisi quae discat modò quidem a-
» lio scire, alio autem nescire. nec enim id absurdum est, ut Scio
» generaliter, specialiter Nescio. omnino tamen uerum non est

255 Quinimmo Aristoteles magis Socratis reminiscentiam probare uidetur.

256 Quid! si Memnonis quaestio de infante iam nunc edito, moueatur; qui nullam noticiam rerum impressam animo, & insculptam habeat, nec generalem, neque specialem; an hoc modo Memnonis dilemma dissolues!

Quid

a c.ult. b c.1.li.1.

257 Quid! uniuerſalia ſunt principia ſcientiarum? At Ariſtoteles ipſe uel contrarium dicit, tum in poſterior.[a] tum in philoſophia[b] cum Polo Lucano, noſtro, a quo deſumpſiſſe hoc, gloriatur.

258 Quamuis igitur in integrae artis informatione uerisſimum ſit, a generalibus ad ſpecialia progresſionem eſſe, tamen in ſingulis partibus id nequaquam uerum eſſe experimur, ut nec definitio definito, nec partes toto, nec antecedens demonſtrationis abſolutae conſequente generalius eſt, quin ſingula haec conuertuntur Ariſtoteli.

259 Falli interpretes, tenemus, qui ex Ariſtotele, tenent, axiomata ingenerata omnibus hominibus. id enim repugnat Ariſtotelis philoſophiae.

260 Quòd ſi teneas ingenerari nobiſcum, Platoni te adhaerere, dicemus: ac Platonica cum Ariſtotelicis permiſcebis.

261 Demonſtrationem eſſe ſubiectum genus, analyticorum poſteriorum interpretes abunde intelligunt, & profitentur. falsò itaque demonſtrationem diſputat Ariſtoteles.[b]

b 1.po.c. 5.15.16. 17.18.19.

262 Cur hoc? Quia nulla ars ſubiectum ſibi, & propoſitum genus diſputare debet. ponendum igitur eſt, demonſtrationem eſſe; nec id dubitandum, aut diſputandum: licet Latinis omnibus, praecipue uerò Linconienſi Groſſateſtae, non deſint reſponſiones.

263 Graeci interpretes, ut Themiſtius, & Philoponus, eósq. ſecuti ferè omnes, ſecundo modo dicendi per ſe, accidentia propria adhibuerunt; quorum in definitionibus ſubiecta ponuntur, ut ſimitas naſi, &c. falsó.

264 Themiſtius, & Philop. & deinceps reliqui, duos modos per ſe primos ab Ariſtotele retineri, duos poſtremos abiici: falſum.

265 Dialectice; ait Ariſtoteles; non eſt definiti generis. non enim interrogaret: falſum.

266 Artifex, ait, certi generis, ut metaphyſicus, uel demonſtrator, non interrogat: falſum.

Ecquid

267 Ecquid vetat Aristoteles, interrogationibus artes, & scientias omnes, & dialogo aliquo constitui?

268 Platonis philosophia fortè erit dialectica. At quid, si huius contrarium alibi dixerit Aristoteles.[a]? a 1.po.c.9

269 Quaestionum tot sint; ait Aristoteles; quot rerum, quae sciuntur, genera.

270 At non Aristoteli, scientia definitur ex caussa prima necessaria, & uniuersali? Ita: Attamen multa quaeruntur, & fortuita, & sensilia, quorum tamen nulla talis est scientia.

271 Quaestionem An est, apodicticam esse non putamus: si modò subiectum simpliciter tantùm quaerat. subiectum enim tamquam principium ponitur in artibus.

272 Quaestio uerò Quid est, erit ne apodictica? Minimè, eadem ratione, si non quaerit accidens de subiecto.

273 At quaestionem Quia est, apodicticam aestimant: falsum. cùm Aristot. sine caussis, eam quid explicare posse docuerit: unde differat ab ea, quae Propter quid scientiam pollicetur: praesertim uerò cùm illa, utrum accidens insit, tantùm quaerat.

274 Quaestionem Propter quid, aiunt quaerere, propter quid accidens inest subiecto: falsum. potest enim quaeri Propter quid, aliud non accidens, ut genus de specie: ut propter quid homo animal; & alia, &c.

275 Tot esse quaestionum, quot sunt rerum, quae sciuntur, genera; & non nisi quattuor, An est, Quid est, Quia est, Propter quid est, tantùm definiri, si quaelibet quaestionum genera partiri uoluit Aristoteles, & interpretes etiam fatentur: falsum.

276 Omne problema, seu quaestio indicat; ait Aristoteles; „ aut genus, aut accidens proprium, aut definitionem: falsum.

277 Si enim quaeram, utrum sit Babylon ad tyrannidem principum aedificata, an non? Quid horum quattuor quaeritur? nullum profectò, nisi finis. & hoc utrum natura, constat ex ma

teria, & forma, an non? De partibus tantùm, non de genere.

278 Cur de specie in topi. non praecipiatur? Quia a disciplina reiicitur; & singularia praecepta nulla, in arte esse debent: falsum.

279 An igitur praeceptum uniuersale de rebus singularibus nullum esse potest!

280 Sed quid, si Aristoteles de specie specialissima praeceptum tradit!

281 Rationes; ait Aristoteles; quibus magnam argumentorum
,, copiam comparabimus, sunt quattuor: quarum una est in pro
,, positionibus eligẽdis, altera in distinguẽdo, quot modis quid
,, que dicatur; tertia in differentiis inueniendis; quarta in simili
,, tudinis cognitione, & scientia: falsó.

282 Plurima enim genera argumentorum, sunt instrumenta inuentionis dialecticae.

283 Sed nón ne absurdum est, propositionem; quae syllogismi pars est, & argumenti dispositio; inter argumentorum speciem numerare!

284 Tres; ait Aristoteles; partes esse dialectici, & topici, inuẽtio
,, nem, dispositionem, & elocutionem: falsó. elocutio enim Rhetorices pars est, non Dialectices.

285 Modi reprehensionis; ait Aristoteles; alii sunt circa dictio-
,, nem, alii uerò extra dictionem: falsum.

286 Non enim haec partitio logica esse uidetur. nam partem capit a Grammatice, & Rhetorice. Grammatice enim, ut Rhetorice, doctrina dictionis est, Logice autem rationis.

287 Itaque elenchi dictionis non logica uitia? Non utique, sed grammatica, aut rhetorica.

288 Insolentiam, putat Aristoteles, uitium, & elenchum ad Logicen pertinentem: falsó. grammatici est.

289 Ergo homonymia nõ erit logicum uitium? Minimè: grammaticum est. cùm enim de perspicuitate orationis praecipitur a Cicerone, de uitanda ambiguitate uerbi, sermonisq. praecipitur.

Meta-

290 Metaphoram enumerat Aristoteles inter uitia dialectica: falsó. potiùs enim rhetoricum uitium est, quàm logicum.
291 Amphiboliam uitium dialecticum, ponit Aristoteles. grammaticum est, & grammaticae syntaxe-s uitium.

ANTONII PERSII
POSITIONES
PRO DIALECTICA FACVLTATE.

292 SI Dialectices artis magistros primos requiramus, non Aristotelem profectò fuisse censendum est; sed multò antea, quamplurimos exstitisse, manifestum est; uel cum Platone Prometheum, ueluti Deorum interpretem existimabimus, quem in sacris litteris Noëum docti existimant; uel cum aliquot doctis, Mosis sacrũ illum sacerdotis ornatum, & uestitum Exhodi expressum.
293 Itaque Logices exercitatio apud Hebraeorum liberos singularis fuit, non in sophisticis de arte ipsa contentionibus, sed in explicatione historiarum, in canticorum, & poëmatum compositione, ínq. aenigmatum enodatione, doctis uiris attestantibus.
294 Sed ne referas ad tã antiquos: neges etiam, Pythagoraeos fuisse logicos (quod tamen falsum, inde deprehenditur, cùm mathematicis artibus; quae sine Logice tractari non possunt; ita accuratè studuerint) Zeno tamen Eleates, ex Platone, & Laërtio, inuentor efficitur. quod & ad Parmenidem nostrum Lucanum Galenus[a] extendit.
295 Clinomachus Thurius, noster cõterraneus, primus de axiomatis seu enunciatis conscripsit, si Laërtio credimus. quod si uerum est, principiũ doctrine huius ei philosopho debeatur; quae deinde translata sit ab Arist. in librũ de interpretatione

[a] De hip. & Plat. plac. li. 9.

296 Non itaque Democritum Dialectices inuentionis,& dispositionis ignarum,ut nec Protagoram elenchorum;ut ex Platone patet; principem negare possumus.

297 Quin neque Platonem ipsum cum Socrate a Dialectices perfectae cognitione secludimus;de cuius schola Academicorum,& Peripateticorum sectae manarunt.

298 Dialecticen igitur,facultatem,seu uirtutem bene disserendi tenemus,hoc est disputandi,disceptandi, ratiocinandi.

299 Quoties itaque ratione utimur, toties dialectico munere fungimur?Quid ni!

300 Naturalis ergo Logice?Facultas.

301 Vt enim uisus,& auditus facultas est naturalis,uidendi, audiendíq.; ita Logicen hanc,esse facultatem,omnia disputandi,intelligendíq.

302 Rectè itaque Aristoteles, omnes idiotas quodammodo uti Dialectice,confirmauit.

303 Duplex itaque;quinimmo haec,ueluti illius magistra,cōstituitur;cùm omnis disciplinae principium sit experientia, obseruatio,& inductio.

304 Dialectice itaque communis omnibus rebus, ratione tractandis,ueluti prudentia quaedam communis omnibus artificibus,qui cum disserunt,non sua quadam,& propria,sed communi dialecticorum facultate,disserunt.

305 Si,ut ait Aristoteles,finis a disciplina habetur,quando praestatur quod artis uiribus continetur,Dialectices finis erit, bene disserere.

306 Subiectum uerò Dialectices ponimus,res omnes. quod uel Aristotele teste confirmamus.

307 Quid etiam si Non ens,subiectum Dialectices ponamus! ut omnino quidlibet seu uerum, seu falsum quid tractari, ac ratione disputari,& explicari possit.

308 Dialectices uerò partes duas esse tenemus, inuentionem, & iudicium : quas Adrastus Simplicii testimonio, peripateticus nobilissimus, adprobauit, ad aures fuisse Aristotelis; item-

itémq. Cic., & Quinctilianus.

309 Quamuis itaque opus aliquod artis huius, enunciatum scilicet, necessarium, uerisimile, captiosum dari potest; non ob id enunciati Logice partim necessaria, partim uerisimilis, partim captiosa esse debet; sed tota necessaria.

310 Genus illud uerè esse dicimus, totum partibus essentiale.

311 Vnde Hominem genus esse Catonis, & Ciceronis; Catonē uerò, & Ciceronem speciem esse Hominis.

312 Cùm uerò satiùs putemus, ueri, & proprii sermonis usum a iurisconsultis, & reipublicae principibus, quàm a scholis inertium philosophorum petere; meliùs quae duo indiuidua, uulgò dicunt, & unam speciem, illi duas species, & unum genus dixisse uideri debent.

313 Sed si deridebunt consultos, non ridebunt Platonem, neque Aristotelem.

314 Differentiam, quam Porphyrius declarare adgrediebatur, uel ad formam, & caussam, uel ad comparatorum locum, & ad inuentionem rectiùs adscriberem.

315 Accidentium nomine rectiùs facta adiuncta, & rerum inter se comparationes intelligi.

316 Genus item, & speciem ad locum de toto, & partibus rectè ablegamus.

317 Categorias etiam ad inuentionem dialecticam sternere uiam, melius est ut concludamus.

318 Paronyma ad coniugata reuerti debere aestimamus.

319 Locum adnumeramus in subiectis, & tempus in adiunctis.

320 Quae uerò cum aliquo conferantur, ad speciem oppositorum referamus.

321 Animi sensum, uel intelligentiam, rerum similitudinem es-
„ se uoluit Aristoteles: quae uerò sint in uoce, notas, & signa sen
„ sorum mentis esse: ut ea, quae scribuntur, eorum, quae sint in
„ uoce, sensa illa apud omnes eadem esse, symbola, & signa non
„ eadem, deprehendamus.

Quo

322 Quo fit, ut Dialectices, & Grammatices lata differentia contineatur, cùm illa tota sit animi, eadémq. apud omnes gentes: haec tota symbolica, in uoce, & scriptura.

323 Logice itaque sine symbolis interpretationis potest in animo consistere.

324 Rectè igitur in analyticis nullam Aristoteles interpretationis mentionem, sed syllogismi genesin, & analysin, tribus terminis, & propositionibus conclusit, & terminauit. non enim ad externum sermonem dirigi uoluit, sed ad internum.

325 Aliquis homo currit, Aliquis homo non currit, nullum cōtradictionis nomen meretur.

326 Homo albus est, Homo non albus, tantundem.

327 Omnis homo albus, Quidam homo albus, & contrà; quae subalternae dicuntur; multò iustiore ratione tollantur: quia sunt ambae affirmantes, uel ambae negantes.

328 Quales sunt antecedentes caussae, talem euentus ueritatem esse tenemus. Ex caussis itaque necessariis futurum necessarium, ex liberis liberum, ex physicis physicum esse tuemur.

329 Nos Logicen compositorum enunciatorum, & per se, & in syllogismis maximè necessariam putamus.

330 Quod & Graeci Aristotelis interpretes profitentur, inuentionem illam Theophrasti, & Eudemi propriam esse. Cui & Boëth. de suo multa addidisse etiam, testatur; sed utrum omnia rectè, aliàs dictum.

331 Datur igitur enunciatum, compositum, seu coniunctum, praeter simplex; quod multas sententias coniunctas habet.

332 Cuius & sunt suae species, ut copulatum, disiunctum, connexum, & relatum, &c.

333 Attamen in disiunctione illud tenemus, ut omnis disiunctio absolutè uera, sit etiam necessaria, tametsi in partibus separatim nulla sit necessitas.

334 Nam disiunctionis necessitatem pendere e partium non ueritate, sed dissentione, palàm est.

335 Praenotionem duplicem esse dicimus, uerborum alteram, rerum uerò alteram.

336 Et uerborum illam dicimus, quae in omnibus definitionis, & definiti; totius, & partium; demonstrationis, & demonstrati; omnísq. explicationis, & eius terminorum uocabulis omnino requiritur.

337 Rerum uerò, quae debet esse in definitione, ad explicandum quod definitur; in distributione, ad explicandum quod distribuitur, in demonstratione, & quauis expositione, ad demonstrandum & ad exponendum quod quaeritur; alioqui nihil explicaret.

338 Itaque syllogismi Maior, & Minor hanc praenotionem haberent? Quid ni!

339 Immo eandem de terminis mediis, & extremis, ut constaret esse res iis significatas.

340 Conclusio ergo, & problema, quod concluderetur, hanc duplicem haberet praecognitionem? Non: acciperet autem, dum concluderetur ab antecedente.

341 Quid si hoc idem dixerit Aristoteles[a]! a c.2.& 8

342 Rerum autem praecognitiones, & anticipationes generales & uniuersales esse, unde speciales illis comparatae protinus concipiantur, & concludantur.

343 At uerò id praecipuè in informatione artis integrae uerissimum esse putamus, ut a generalibus ad specialia progressio sit.

344 Definitiones, & partitiones esse principia omnium ferè artium, uel inde sumptas quasdam maximas.

345 Principia uerò non tantùm priùs nota, sed esse notiora, ait
» Aristoteles; immo uerò ita clara, ut contraria quoque inde
» fiant manifestissima.

346 Cùm autem quae in scientia sunt, per se sint oportet, fit, cùm quid alicui aderit, uel simpliciter, uel quodãmodo erit: unde modi Per se emanant.

347 Et primum illum tenemus, quando attributum est in essen-

tia subiecti,& in eius definitione adhibetur.
348 Secundus modus Per se est primo contrarius: (Per se est, quod est in essentia,& definitione attributi) qui modus distributioni generis in species, aut differentias conuenit, ut primus definitioni: quod uel exempla Arist. palàm faciunt.
349 Accedit quartus modus; per se inest,quòd caussa sit certa, & non fortuita. generalis ergo hic modus Per se, quoties scilicet caussae de suis effectibus dicuntur.
350 Propriorum accidentium erítne ullus? Tertius: hic enim modus affectiones, & accidentia cognata quodammodo complectitur.
351 At quo pacto ex Aristot. littera? Ex dissentaneo: Ideóq. nouo sensu, Aristotelis contextum declaratum iri.
352 Omnes itaque modos Per se, ab Aristotele retineri tenemus,nec abiici duos reliquos.
353 Vnde fit, ut consequentes artes antecedentibus subalternae sint, ubi aliquid docent, superiorum decretis explicabile.
354 Ergo sic Dialectice omnes subalternae sint in genere rationis uel inueniendae, uel iudicandae.
355 Omnem disciplinam fieri aut per demonstrationem, aut per definitionem, concedimus. quod & Aristoteles rectè confirmauit.
356 Ac per definitionem,& distributionem, accuratiorem scientiam confici,quàm per demonstrationem,tenemus.
357 Quare non sequitur,Scio ex caussa, propter quam res est. quoniam illius est caussa; nec aliter habere potest. ergo, Scio per syllogisticam demonstrationem.
358 De definitione uerò tam multa, quae disseruntur in lib. Posteriorũ, e Platone ferè sumpta esse, quiuis animaduertere poterit. Plato enim ad instituendas artes, definitionem, & distributionem proposuit; syllogisticae demonstrationis, qualem Aristoteles commentus est, non meminit.
359 Tunc enim artes bene disputare, docere, demonstrare po-
teri t

terit quis, cùm logicam inuentionem in ipſarum natura, qualitatéq. tota, ex cauſſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, ceteriſq. argumentis peruidenda; cùm diſpoſitionem, in eadem, uel νοητικῶς enunciati, uel ſyllogiſtico concluſionis iudicio aeſtimanda, & iudicanda, uniuerſa tandem ordinanda, ab initio per media ad extrema exercuerit. & hoc pacto noſter Teleſius eſt progreſſus in ſua philoſophia conſcribenda.

ANTONII PERSII

IN ETHICIS CONTRA ETHICOS.

ARISTOTELEM
CICERONEM
BOETHVM.
AVERROEM, ETC.

360 TAmetſi in ſcientia, & diſputatione de moribus non eſſe omnium praeceptorum demonſtrationem requirendam, rectè fortaſſis affirmet Ariſtot., tamen illud falsò, quòd ad percipiendam hanc diſciplinam de moribus, praecepit, ut paedia in auditore praecedat.

361 Quòd autem ne adoleſcentes quidem percipiendis morib. eſſe idoneos uoluit Ariſtot. falsó.

362 Certè pueros quoſdam uidimus diuinitate quadam mentis praeditos, ut in quibuſdam, multorum uirorum iudicia exſuperarent.

363 Quid, quòd docti uiri nullam aetatem tam infirmam experti, confirmarunt, quae non protinus quid rectum, prauúmq. ſit, diſcat! quin cum Chryſippo putarunt, & ante triennium il

a 3.po.c.1 los optimis imbui posse moribus.

364 Cùm ciuitas concretum quiddam sit, Aristoteli,[a] quemadmodũ aliud quid totum, constétq. ex multis partibus, quaeritur ab ipso meritò, quis sit ciuis.

365 Et ciuis uerò, qui omnino ciuis est, alia re nulla ei definitur, quàm iudicii, magistratúsq. communione : adeò ut cui etiam concessa sit sententiae dicendae, uel iuris dicundi potestas, eũ ciuem huius, uel illius ciuitatis esse, uelit: falsó.

366 Qui itaque ab honoribus, iudiciis, & consilio publico prohibentur, in ciuitate sua exsules erunt, & peregrini.

b l. in orbe. ff. de stat. hom. & nou. 78

367 Non rectè igitur imp. Antonius Pius[b] constituit, in orbe Romano qui sunt, ciues ut essent Romani.

368 Nec etiam in urbe VENETIARVM praeclarissima, praeter nobiles, essent ciues: nisi cum quibusdam errare uelimus.

369 Sed uide: Arist. popularis status definiuit ciuem; Non ergo uniuersorum est definitio.

370 Sed quid, si nec populari haec cõueniat ciui! Siquidem Athenis; ubi resp. maxime omnium popularis fuisse dicitur; quarta classis infimorum tenuium, idest, populi pars longe maxima, lege Solonis,[c] ab honoribus, a senatu, a magistratuum sortitione arcebatur.

c Plutar.

d 4.polit.

371 Magistratus uerò, Aristoteli[d] praesertim, & sequacibus potissimùm, appellati sunt, quibus dicendae sententiae, iurisdictionis, & imperii permissa est potestas: falsó.

372 Quisnam igitur in rep. magistratus ista ratione dici poterit, cùm tanta magistratuum paucitas ad consilium admittatur!

373 Sed Arist. nónne multa genera magistratuum nos docet, qui nec imperium, nec iudicium, nec consilii capiendi ius ullum habent? Ita. Quod etiam alia ratione falsum esse, aliàs dicetur.

374 Et sententiae quidem dicendae ius, priuatis concedi, & iurisdictionẽ etiam minimis quibusque, nemo est, qui ignorat. unde priuati iudicare, ac decernere quidem, non imperare possunt. quid igitur ad imperium!

Sed

375 Sed heus, ſenatum magiſtratum fateris? Quid tum! Quia eius decreta, principis egent ſanctione; nec aliter uim haberent, quàm ſi princeps ipſe iuberet.

376 Vnde hoc? Quia Senatus nullum imperium, nullam habere iuriſdictionem uidetur, niſi principis, aut populi patientia; qui acta ſenatus probare, quae non improbat, uideri debet.

377 Hinc enim illa, SENATVS DECREVIT, POPVLVS IVSSIT. Quae igitur ſenatui, uel magiſtratibus tribuuntur, rationem habent a ſummo imperio diuiſam: unde quae ſenatus decernit, non priùs uim habitura ſunt, quàm a populo, uel optimatibus, uel principe ſanciantur.

378 Illud itaque maximè in omni rep. intuendum eſſe uidetur, quis imperium magiſtratibus dare, & adimere, quis leges iubere, aut abrogare poſſit; utrũ unus, an minor, ſeu maior pars ciuium.

379 Ceterùm quòd inter alios Cic. remp. definit, hominum multitudinem, bene uiuendi cauſſa, ſociatam.

380 Eſſet enim hoc pacto Pythagoraeorũ coetus reſp.; quin & eorũ omnium, qui, bene uiuendi cauſſa ſimul coëunt. Indicatus eſt hac definitione finis quidẽ reip. optimus; ut eruditi animaduertunt; at non uis, & natura.

381 Fortè meliùs Cice. alibi remp. definiuit, coetum multitudinis, iuris conſenſu, & utilitatis communione ſociatum. falſum & hoc.

382 Ac ſi eodem imperio, niſi & legibus iiſdem deuinciantur, ciues dici non poſſint; atque reſp. non ſat ſit, ut ſub eodem imperio definiatur.

383 Praeterquam, ſi preſſiùs, iſtos remp. pro ciuitate, & urbe, definiſſe defendamus.

384 Quaedam συναλλάγματα; ait Ariſt.; ſpontanea ſunt, ut emptio,
» uenditio: quaedam uerò, quia ſine conſenſu partium fiunt,
» inuoluntaria appellantur.

385 Et haec, quae contra uoluntatem obuenire ſolent, aut ex

ignoratione, aut ui quadam inferuntur.

386 Ex ignoratione, ut furtum, ut adulterium, ut ueneficium; ui autem uerbera, &c. falsó.

387 Si commerciorum rationem seruare uelis, ut sint rei cum re commutatio, quid, obsecro, is, qui uerbera, aut etiam mortem perpessus est, pro damno recipit? Si ita accipies συναλλάγματος nomen, non euades.

388 Arithmeticam proportionem in iustitia commutatiua, seu emendatiua maximum locum habere, uult Arist., ubi res rebus, lucra damnis conferuntur.

389 Nihilq. interesse uult, utrum bonus uir scelestum spoliauerit, an bonum improbus; sed lex, damni solùm spectat dissimilitudinem: falsó.

390 Ac si legislatores non personarum, sed tantùm damni, & lucri, simpliciterq. excessuum rationem haberent.

391 Cur itaque, obsecro, ex bene constitutis legibus grauiùs punitur is, qui uirum, magistratum gerentem percusserit, quàm qui ciuem; uel qui principem, quàm plebeium?

392 Quid si Arist. hoc ipsum aliàs dixerit!

393 Fortè, ut alii respondent, Arist. ad id, quod ut plurimùm modò euenire solet, respexisse: falsó.

394 Vel ille locus, ut alii, de priuatis accipi debet, non autem si personam publicam laeserit: falsó.

395 Auerroës autem, ideo grauiùs puniri putat eum, qui magistratum, uel principem percusserit, quòd talis iniuria, quae principi infertur, ab intensiori; ait ipse; malitia proficiscatur: falsó.

396 Fortè, ut alii, quia Arist.[a] de pecuniario nocuméto, non personali loquebatur: falsó. a c.4.

397 Quid si, ut alii, quoniam iniuria dupliciter existimari posset, uel ut interest reipublicae, & sic ad ius distributiuum; uel ut priuati alicuius; & ita loquitur Arist. falsó.

398 Nulla enim harum, uerba Arist. pugnantia conciliat.

399 Sed illud etiam non parui refert, quòd Prudentibus no-

ſtris repugnant.

400 Meliùs itaque noſtri Conſulti, Vlpianus,[a] Macer,[b] Calliſtratus,[c] & Claudius Saturninus,[d] quàm Ariſtoteles.

a l. mori §. poenarum. ff. de poen.
b l. 10. 14. eo.
c l. 28. § 3. 6. eo.
d l. 16. eo.

401 Ius; ait Ariſt.; perpeſſionis mutuae non congruit, neque iuri
» legitimo, ideſt diſtributiuo, neque ciuili: dico autem ciuile,
» quod in communione uerſatur: falsó.

402 Nónne uirtus quaelibet iure legitimo contineri debet? Ita iuſtitia mutuae perpeſſionis uirtus eſt.

403 Sed quid! nónne idem Ariſt. probat, hoc eodem iure; mutuae ſcilicet perpeſſionis; ſeruari ciuitates, & ſocietates!

404 At ſcio; eradent homines docti a libris Ariſt. uerba haec.

405 Pythagoraeorum de iuſtitia opinionem argumentis multis reprehendit Ariſt. falsó.

406 Quid! Pythagorici ius ipſum ſimpliciter, mutuam, ac reciprocam paſſionem definiebant, nónne? Ita.

407 Rectè itaque Ariſt. non placet; cùm nullo modo id ius eſſe uideatur, ut ſinguli eadem patiãtur, quae ipſi fecerint, ut dens pro dente auellatur, aut oculus eruatur pro oculo.

408 Verùm ego non hanc Pythagoraeorum ſententiam fuiſſe exiſtimo.

419 Simpliciter nimis, & craſsè Ariſt. uiſa eſt poena talionis Pythagoraeorum, pro reciproca nimirum, & mutua paſſione.

410 Sed haec reprehendendi ratio Ariſt. ualde peculiaris, ſolet eſſe liberior, & iniquior; & ad ſpeciem quandoque, non re uera, dum magiſtris contradicit.

411 Pro tali comparatione meliùs eſt, ut intelligas, in qua inueniuntur utrinque & antecedentes, & conſequentes rationes.

412 Qui ſemel iuſtè fecit, ait Boëthus, eum non eſſe iuſtum, neque qui ſemel adulterium commiſit, eum eſſe adulterum; ſed cùm iſta uoluntas, cogitatióq. permanſerit: falsó.

413 An qui caedem fecit, non erit homicida!

ANTONII PERSII POSITIONES

PRO ETHICA FACVLTATE.

414 QVemadmodum homines e corpore, & animo constant, ita duas ad res nati, & ad agendum, & ad intelligendum uideri debent.

415 Inde cunctae res, quarum usum in terris habemus, studiáq. nostra, cuiuscumque modi illa sunt, corporis alia, alia animi naturam, rationémq. sequuntur.

416 Quare duae similiter uitae partes, possunt constitui; & ad corporis quidem conuenientes effectus, & actiones, prudentia; ad animi uerò excellentes cogitationes, atque intelligentias, sapientia.

417 Sed inter artes omnes, quas humana ratio deprehendit, nulla praestantior est, quàm haec de caussis uirtutum, déq. ciuilibus officiis doctrina: ex hac leges rerump., ex hac humanitas omnis, quae propria sic uocatur, orta & propagata est.

418 Hac itaque doctrina, illi ipsi scriptores legum, quibus hodie utimur, instituti fuerunt; & res ipsa loquitur, publici iuris elementa, & semina in his philosophorum disputationibus contineri.

419 Atque huiusmodi inquisitionem de fine bonorum, ad scientiam hanc, ac ciuitatum regendarum pertinere.

420 Cum autem uirtutes circa affectus, actionésq. uersari exstimauerint, in iis excessum peccare, defectum uituperari, medium uerò & laudem, & rectam exsecutionem consequi dixerunt.

421 Ex uno autem actu summum uitium, ex uno etiam actu summam uirtutem esse posse tuemur.

422 Neque ob id tamen infitiamur, confirmari, roboraríq. uirtutem,

tutem,ac uitium.

423 Aliud igitur erit,adquiri uirtutem,& aliud,confirmari: & aliud est,adquiri scientiam,& aliud,confirmari.

424 Ceterùm uno quidem die ex tenacissimo, fieri largissimus possum,nónne?Ita.

425 At uno die, si sum indoctus, non possum fieri doctissimus.

426 Doctrinae igitur per gradus certos paullatim adquiruntur, & ueluti ascendunt;uirtutes uerò etiam sine gradibus, & ueluti impetu quodam adiri possunt.

427 Per hos uerò gradus a scientia retro ad ignorãtiam, descendimus, à uirtutibus etiam non gradatim in imum corruere possumus.

428 Cur hoc?Quia non ita infestatur scientia ab inscitia, ut uirtus a uitio.quoniam uirtus austera est,uitium plerumque blandum,& supparasitans.

429 Duplex prudentia a doctis nominata est, ut alia absoluta, alia relata; nisi mauis priuatam illam dicere, hanc communem.

430 Et priuatam quidem dicimus,quae cuique priuato homini bona,maláue;utilia,& inutilia;commoda, & incommoda uitae cognoscendi,diiudicandi, adipiscendi, fugiendíq. uiam commonstrat.

431 Relata uerò,& communis prudentia tum ad familiam refertur,tum ad ciuitatem,& rempublicam.

432 Prior autem Oeconomica,posterior Ciuilis prudentia appellatur.

433 Familiaris igitur rei, & oeconomica prudentia est,quae in re familiari,ac domesticis negotiis cernitur,in administratione familiae,ipsiúsq. partium mutua quadam, & concordi societate inter se conspirantium utilitatem,uersans.

434 Componitur autem primaria quidem ratione, domus ex duabus,iisq. minimis, & simplicissimis partibus, possessore, ac possessione;quemadmodum & reliquae omnes societates,

quae

quae in terra consistunt, dum quodam imperio, certáq. quadã administratione coërcentur, conseruantúrq.

435 Itaque prudentiae rei familiaris uis primo omnium spectatur inter uirum, & uxorem. haec enim prima, & maxima secundùm naturam est societas.

436 Si quidem communis animantium omnium est, coniunctionis appetitus, procreandi caussa, ac simile sibi producendi; per quod quasi perpetuò uiuere expetunt: quod sine maris, & feminae commistione fieri non potest.

437 Quae quidem non solùm ut legitimè facta, sed temperantia, & pietate simul operante, habita esse uideatur, non uoluptatis, sed procreandae sobolis caussa, mulieribus admisceantur homines, animaduertendum; multò antea, solius naturae praeceptis admonitus noster Ocellus ostendit.

438 Altera uerò societas, & secunda prudentiae pars, in liberis consistit; ex quorum diuersa ad parentes habitudine, diuersa quoque prudentiae documenta oriuntur. horum enim alia ad parentes, alia ad liberos spectant.

439 Parentes educationem, & institutionem liberis, ceteráq. necessaria uitae praesidia debent; qui spectant in eos solos, nec aliud ullum possunt habere profugium.

440 Liberi contrà, parentibus, quorum beneficiis maximè obligati sunt, officium, animíq. gratitudinem.

a §. ult. in sti. de her. quali.

441 Illi, inquam, qui, ut Imperator[a] ait; *uiuo quoque patre quodammodo domini existimantur.*

442 Vltima, & postrema societas est quae ad rem possessam pertinet. quae quia tamen paret, iccirco ex alterius praescripto uiuit, nulla, uel sanè exigua prudentiae particula indigens.

443 Inanimata enim res, & muta possessio, quae ratione, & mente uacat, itémq. animata, sed quae ratione caret; brutorum animantium; nullis omnino prudentiae praeceptis reguntur.

444 At serui? Soli, híq., qui non laboribus, sed curandae fami-

liae

liae destinati sunt, quadantenus eius munere donantur, [a] ut dominorum praecepta capessant, ipsorúmq. uoluntatibus obtemperent. a 1. polit.

445 Porro autem animatae possessionis ad bruta animantia pertinentis uaria reperiuntur discrimina.

446 Quaedam sunt fera, & agrestia, ueluti quae in aquis, aëre, & terra capiuntur; quaedam mansueta.

447 Mansueta tantùm ad usum, ut ad uecturam equi, uenationem canes, culturam terrae, boues.

448 Tum etiam ad fructum, quem ea praebent, quae lac, lanam, & pelles ad corpora uestienda, reliquáq. similia suppeditant, ut oues.

449 Quorum etiam animalium magna ex parte uictu, & cibo utimur.

450 Inanimata quoque possessio non est uniformis, & simplex; sed alia quidem secundùm naturam, alia praeter, alia medium locum obtinere conspicitur.

451 Quae praeter naturam est, ea propriè ad adquisitionem nũmorum, & nummulariam pertinet; quae mercaturam, caupónariam, fenerationem, & mercenariam continet.

452 Sed enim illa possessio omnium optima est, quae naturalibus usibus succurrit; & ad comparationem rerum in uita necessariarum, quibus omnis societas continetur, est idonea. talis uidetur esse ipsa agricultura.

453 Illarum uerò rerum quaestus, quae ex terra perueniunt, ceu metallorum; ut auri, & argenti fodiendi, & lapicidinae, & siluae ceduae; ueluti medius est.

454 Hae enim quamquam praeter naturam omnino non sunt, tamen non ita humaniter fiunt, atquè agricultura.

455 Cur hoc? Quia in metallis fodiendis, terrae uelut parenti, ac rerum omnium genitrici, inferantur manus, eius uiscera fodiendo.

456 Nónne hoc ipsum fit in agricultura? At benigniús: quippe cùm iusta, nec iniuriosa sit huiusmodi fossio; neque uiolenta,

ſed mitis, & pia; quae neque inhumaniter, neque ab inuitis extorqueatur.

457 Ciuilis uerò prudentia, quamquam in maiori uerſatur ſocietate, eáq. perfecta, & nullo indiga; quam Ciuitatem appellamus; ex iiſdem tamen propemodum principiis, iiſdémq. ferè membris conſtat, quibus domus.

458 Eſt autem & ipſa quidem, propter uarias & diuerſas partes, uaria & multiplex.

459 Nec infitiamur, alios eſſe interpoſitos gradus inter primam illam ſocietatem, & antiquiſſimam, quae uiri, & uxoris eſt; & ultimam, quae ciuitatis, & reipublicae.

460 Nam poſt liberorum coniunctionem, quae paullulum a prima diſcedit, fratrum ſequitur inter ipſos; pòſt agnatorum, & gentilium. qui cùm iiſdem tectis capi non poſſint, in alias domos migrant, quib. ſunt res, rationéſq. diſtinctae.

461 Sequuntur affinitates, & noua connubia, ex quibus plures propinqui ab agnatis gentilitate diſiuncti. cùm uerò ab affinitatis coniunctione diſceſſeris, proxima eſt, amicorum uirtute parta ſocietas: tum uicinorum, qui propagata ſobole in plures uicinias, coniunctis aedificiis coaleſcunt.

462 Sed aucta uicorum multitudine, quò tutiores eſſent a peregrinis, foſſa primùm ſeipſos cinxerunt, opibúſq. muniuerunt: unde Opidi nomen.

463 Cùm autem non ſatis eſſet in foſſa praeſidii, uarris primùm (unde Valli fortè nomen) deinde moenibus opida ſepſerunt: quae Vrbes a Latinis dictae ſunt.

464 Iam uerò cùm ciuium numerus augeretur, pomeria proferri oportuit, uel colonias aliò mitti: quae, quòd iiſdem morib. àc priores uterentur, una & eadem Ciuitas dici coepit.

465 Sic igitur paullatim amicitia, ſocietatis humanae uinculũ, ab una domo in plures diuiſa familias, uicos, urbes, ciuitates, nationes, eò uſque propagata eſt, quoad omne genus humanum complexa tueretur.

466 Quandoquidem reſpublica aut legibus, aut recta rerum ge renda-

rendarum administratione, necessariò conseruatur.

467 Recta autem administratio in deliberando, & consultando, ac etiam iudicando posita est.

468 Priorem, legalem, alteram deliberatiuam, tertiam iudicialem uocemus.

469 Ea legalis est, quae legibus praeest. cuius officium in condẽdis optimis, atque utilissimis ciuitati legibus, quae tũ ad mores ciuium, tum ad urbis situm accommodatae sint, cernitur.

470 Quae cùm omnibus inferioribus artibus, & scientiis, quae ad conseruandam societatem hanc pertinent, imperet, rectè ab Aristotele Architectonica uocatur.

471 Est igitur legislatrix facultas Architectonica, & princeps; ciuilis uerò ministra, & famula eiusdem.

472 At haec Politica etiam ab Aristotele uocatur. Esto: at nomine generis.

473 Atque haec quidem prudentiae pars, magistratus, eorúmq. qui res administrant, est propria; unde etiam custodes legum appellantur.

474 Exsequuntur itaque hi praecepta legum aut deliberando & consultando, aut iudicando.

475 At Iuris prudentia neque legalis, neque politica esse uideri potest prudentia.

476 Quid itaque? Media inter utramque, atque utriusque particeps esse uidetur.

477 Legislatores enim, & iurisconsulti idem habent genus subiectum.

478 Legislator itaque optimus condendarum legum auctor, ac princeps.

479 Iurisconsultus earundem peritus interpres.

480 Magistratus uerò diligentissimus praedictarum exsecutor.

481 Verùm id quoque inter iurisconsultum, & legislatorem non parùm interesse existimandum est, quòd legislator rationem omnium legum nouit ueram, & immediatam, & proximam.

482 Iurisconsultus non proximam, & necessariam, sed potius probabilem, & coniecturis uerisimilibus constantem.

483 Quod & ipsius nomen attestari uidetur: Iurisperiti enim a peritia nominantur.



ANTONII

ANTONII PERSII
IN IVRE CIVILI
CONTRA

IMPERATORES
DIOCLETIANVM
IVSTINIANVM
MAXIMIANVM
IVRISC. VETERES
AQVILLIVM GALLVM
ARISTOTELEM
CAIVM
CELSVM
CICERONEM
HERMOGENIANVM
IVLIANVM
NERVAM
PAPINIANVM
PAVLLVM
PEDIVM
PROCVLVM
SERVIVM
TRIBONIANVM
VLPIANVM
RECENTIORES
ACCVRSIVM
ANGELVM
AZONEM
BALDVM
BARTOLVM
CYNVM
GOVEANVM
IOANNEM INTERPR.
LONGOVALLIVM
ODOFREDVM
PAVLLVM CASTRENSEM
PLACENTINVM
ROFFREDVM
SOCCINVM
SOLOMONIVM
SPECVLATOREM
ZASIVM, ETC.

484 PLERIQVE Ius ciuile non uia quadam, & certa methodo tradi arbitrati sunt; quinimmo experientia quadam tantummodo cognosci: falsó.

485 Quid! Quòd ceteras artes, ac disciplinas; quae multis numeris Iure ciuili, dignitate sunt inferiores; ordine tractari posse fatentur, in sola Iuris prudentia principe artiũ negare audent!

486 Plerique enim Iuris prudẽtiae studiũ ita a philosophiae cognitione detrahunt, ut nihil commune, aut simile esse opinentur: falsò, & imperité.

487 *Summa diuisio*, ait Imperator;[a] *de iure personarum haec est, quòd omnes homines aut liberi sunt, aut serui.* deinde alibi; *sequitur*, ait, *de iure personarum alia diuisio: nam quaedam personae sui iuris sunt, quaedam alieno iuri subiectae sunt:* falsó.

[a] §.2.instit.de iur.pers.

Non

488 Non uides, priorem illam diuisionem differentias longè dissitas, seu mediatas accipere, & non proximas, atque oppositas! quod peccatum cauendum est in diuisionibus.

489 Non uideo, si libertas tam antiquissimi iuris est. Cuius? Naturalis. At falsó.

490 Seruitus ergo cuius erit? Iuris gentium. Rectè. At patria potestas? Iuris ciuilis tantúm.

491 Sed qui patriam potestatem, Iuris ciuilis esse existimant, falsò existimant.

492 Igitur diuisio hominum in seruos, & liberos, de iure gentium intelligenda est? Vtique.

493 Neque enim alii serui, alii liberi iure naturali sunt, sed liberi omnes, serui autem nulli.

494 At Aristoteles docet, seruos, & liberos natura reperiri. At nihil ad Iurisprudentiam.

495 Libertas igitur duplex erit, altera a natura inuenta, & orta; quae non ut differentia, opposita erit seruituti, sed ut habitus priuationi; altera uerò iuris gẽtium, quae uerè ut differentia, seruituti opponitur, & ex aduerso respondet.

496 Latiùs enim patet haec diuisio, altera illa; atque iccirco praecedere debebat priorem.

497 At respondent uiri doctissimi, quòd potiùs sit subdiuisio, & pars illius summae diuisionis, hoc modo: Liberorum enim hominum alii sunt sui, alii alieni iuris.

498 Sed lege uerba Imperatoris, in secunda illa diuisione. *Rursus*; ait; *earum, quae alieno iuri subiectae sunt, aliae sunt in potestate parentum, aliae in potestate dominorum.*

499 *Transeamus nunc*; ait Imperator; *ad aliam diuisionem personarum: nam ex his personis, quae in potestate non sunt, quaedam uel in tutella sunt, quaedam in curatione, quaedam neutro iure tenentur:* falsó.

500 Quam ob rem? Quia si ius personarum, est status, uel condicio singulorum hominum; quo quisque eorum sibi ius uel libertatis

bertatis, uel seruitutis uindicat; non includeretur in hac tractatione pupillus, aut adultus.

501 Nec si statum appellas primum illum a natura, & iure naturali tributum; quo nulli censentur priuati esse, praeter quàm serui, & filiifamilias; ut bene notat Accursius alibi; rectè includerentur. Quid! maior factus, est alius? At non differt persona, ab eo, qui ipse erat pupillus, aut adolescens.

502 Quod non ab re dialectici confirmare uidentur, cùm non concedant differre Catonem senem a se puero.

503 Ceterùm personarum multiplex est uarietas: nam miles a pagano differt, senator a plebeio, magistratus a priuato, tutor a pupillo, pupillus a maiore xxv. ann. nec tamen de omnibus his agit Imperator.

504 Sed nón ne ampliùs magistratus, aut senatoris, aut tutoris persona extrinsecus assumitur! nec enim propterea mutatur status personae.

505 Hic autem de statu personarum agitur, qui non ad dignitatem, aut aliam uitae condicionem adtinet. hinc Statuliberi, & quaestio status in iure.

506 Seruitutis uerò, aut patriae potestatis qualitas inclusa est in ipsis nobis, & diuersitatem iuris constituit.

507 Rectiùs itaque pandectarum auctores cùm de statu hominum tractare uellent, nihil de magistratibus, aut tutoribus attulerunt, ne quid insereretur, quod esset prorsùs alienum.

508 *Ex hoc iure gentium*; ait Imperator; *omnes paene contractus introducti sunt: ut emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum*, &c.: falsó.

509 Quid! nón ne iure gentium conuentiones omnes introductae, exceptis quibusdam, quae iure ciuili introductae sunt? Minimè gentium.

510 Hoc tamen dixit Hermogenianus libro primo epitomarum. Quid si id numquam Hermogenianus!

511 Ac si ius gentium ullum umquam, conuentionum aut finẽ, aut modum expresserit: temere igitur illis & finem, & modum

aude-

audemus nos statuere.

512 *Pubertatem*; ait Imperator; *ueteres quidem non solùm ex annis, sed ex habitu corporis in masculis aestimari uolebant. nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum bene putauit, quod in feminis etiam antiquis impudicum esse uisum est; idest inspectionem habitudinis corporis; hoc etiam in masculos extendere:* falsó.

a l.ult.C. quand.tu. uel cur.

513 Falsum erit etiam & illud, quod & Iust.[a] Mennae PP. rescripsit, *indecoram obseruationem*, inquiens, *in examinanda marium pubertate resecantes, iubemus, quemadmodum feminae post impletos duodecim annos, omnimodo puberes iudicantur; ita, & mares post excessum quattuordecim annorum, puberes existimentur, indagatione corporis inhonesta cessante.*

514 Audistin'umquam ueteres, quotquot sint, qui puberes definiuerunt, huiusmodi impubertatis meminisse!

515 Legimus tamen, puberes uel ex corporis habitu, uel ex certo annorum numero, uel ex utroque iudicandos.

516 Verùm non per habitum corporis, inhonestam aliquam inspectionem; ut sibi, & analphabeto Iustiniano persuasit Tribonianus; sed cum Cicerone, & Liuio, uniuersi corporis formam, figuram, ac dispositionem, siue aliquam corporis totius ad liberorum procreationem, naturae prorsùs idoneam, commoditatem intelligemus.

b l.32. ff. de mino.

517 Falsus ergo Accursius, qui pro Iustiniani, & sua opinione, Paullum[b] citat fautorem? Falsus.

518 *Minores*; ait Imperator; *xxv. ann. olim quidem excusabantur: nostra autem constitutione prohibentur, ad tutelam, uel curam adspirare; adeò, ut nec excusatione opus sit:* falsó.

c §.2.insti.qui testa.tut.da.

519 Quid! quòd uel ipsemet[c] sibi contrarius est; dum minorem testamento datum, non priùs, quàm uiginti quinque annis maior factus fuerit, fore tutorem, uoluit.

520 Non excusabantur itaque minores, apud antiquos; sed illud

lud idem, quod ſibi tribuit Iuſtinianus, apud eos conſtitutum erat. quod uel ex Paullo facilè quiuis intelligere poteſt. Fruſtra itaque Iuſtiniani [a] conſtitutio de hoc cauit.

521 *Minus*; ait Imperator; *iuris eſt in uſu, quàm in uſufructu. namque is, qui fundi nudum habet uſum, nihil ulteriùs habere intelligitur, quàm ut holeribus, pomis, floribus, foeno, ſtramẽtis, lignis ad uſum quotidianum utatur*: falsó.

a l.ult.C. de leg. tu.

522 Ceterùm Vlpianus [b] contrà, *ſed Sabinus, & Caſſius*, ait, *& Labeo, & Proculus, hoc ampliùs etiam ex his, quae in fundo naſcuntur, quod ad uictum ſibi, ſuis ſufficiat, ſumpturum, & ex his, quae Nerua negauit.* uides!

b l.12 de uſu. & habit.

523 Quid! rem ridiculam, Imperatorem, eo loci, Neruae ſententiam nobis tradere, quam a Sabino, Caſſio, Labeone, Proculo, Vlpiano, & Paullo repudiatam, atque exploſam teſtatur in pandectis.

524 Iuſtiniani lege, [c] donatio ante nuptias Propter nuptias, appellata eſt; & conſtante matrimonio fieri, & augeri poteſt. at ſi fiat poſt nuptias, itidem Propter nuptias, a Iuſtiniano appellatur, Graece autem ἀντιφέρνη, propterea quòd a marito uiciſſim in gratiam dotis tribuitur; ueluti quoddam dotis genus ab ipſo inuentum: ineptè, & abſurdé.

c l.ult.C. de do. an. nupt.

525 Cur ita? Ecquid enim in hoc nouo dotis uirilis genere utilitatis adinuenit!

526 At Iuſtinianus uult, ut propter nuptiarum affectionem facta ſit.

527 At hoc diſertè uetitum eſt antiquorum iuriſconſultorum reſponſis, & Iuſtiniani ſanctione firmatum, ut donationes inter uirum, & uxorem prohibeantur quaecumque ſint illae.

528 Reuocatae itaque in uſum, Iuſtiniani conſtitutionibus donationes coniugales, & tamen una ex parte dumtaxat.

529 Fortè illud dici poſſet, antidotem a Iuſtiniano propter dotis ſecuritatem inſtitutam fuiſſe. Neque illud uerum.

G Anti-

a l 24. ſo. matrim.

530 Antiquo enim iure[a] mulieri licebat dotem conſtante matrimonio exigere, ſi modò animaduerteret, ita mariti facultates diffluere, ut ſeruare dotem non poſſet.

531 Parùm itaque opus habemus remedio, in hac re, alterius cõſtitutionis Iuſtiniani; quam A. Mennae P. P. ſcripſit[b], De iure dotium. Eſto.

b l. ubi ad huc.

532 Sed nónne eſſet aliquis antidotis effectus? Quis? Vt poſt uiri mortem, &, ſoluto matrimonio, actio mulieri concedatur.[c]

c nouell. 61.

533 At olim iſtoc pacto coniugales donationes poſt mortem, ualebant.[d]

d l. 32. de dona. int. ui & uxo.

534 Sed quid! maritús ne oneri eſt uxori, aut uxor onera matrimonii ſuſtinere dici umquam poteſt!

535 Quòd olim ſoli ex uirili ſexu nepotes, neptéſue Suorum in ordinem admittebantur; ex muliebri uerò in ordinem cognatorum, atque poſt agnatorum lineam uocabantur, *tam in aui, uel proaui materni, quàm in auiae, uel proauiae ſiue paternae, ſiue maternae ſucceſſionem, diui principes;* ait Iuſtinianus; *non paſſi ſunt talem contra naturam iniuriam:* falſi illi cum ipſo.

536 Nulla enim uidetur iſtis iniuria ab antiquo iure facta: habent enim hi nepotes familiam.

537 Ac ſi gentium, & familiarum dignitati, & propagationi conſulere, ſit contra naturam.

538 Quid de diuinis legibus[e] reſpondebunt! quas tam accuratè de ea cauiſſe, ex Moſaicis legibus intelligi poteſt.

e nu. 27.

539 Rationes itaque habuiſſe leges antiquas, non futiles, tenemus.

f l. cũ qs. C de nat. lib.

540 Is; ait Iuſtinianus[f]; qui a muliere libera procreatus, cuius ma
„ trimonium minimè legibus interdictum fuerat, ex noſtra con
„ ſtitutione, dotalibus inſtrumentis compoſitis, in patris pote-
„ ſtate fit, legitimúsq.

541 Immo & ſine dotalibus inſtrumentis, ſine dote, ſine donatione

tione propter nuptias, si modò apud acta profiteatur uelle se eam sibi uxorem esse, aut filios, quos ex ea fortè suscepit, sibi esse suos.[a]

542 Quin hoc non solùm apud eos magistratus singulari priuilegio fieri potest, qui actorum conficiendorum potestatem habent, sed etiam apud utrumque, uel alterum fisci patronum, qui aerarii caussas agit in foro praef. praetorio, ex constitutione inserta in C. eiusdem Iustiniani; ut doctissimi quique animaduertunt.

543 Si unius pluriúmue patronorum plures liberi diuersis gradibus sint, qui proximior est, praefertur, hereditásq. in capita ut diuideretur, Iustinianus iactat se, nouum hoc ius instituisse: falsó.

544 Nihil enim noui iuris, quod ad hanc rem adtinet, Iustinianus instituisse uidetur, cùm Iulianus,[b] & Vlpianus[c] hoc idẽ antea scripsissent.

545 Quod Iustinianus[d] imperator Iuliano rescripsit de uenditione, ut nulla sit emptio sine certo, constitutóq. pretio: quod si in alterius arbitrium conferatur, sua ipsius lege tum ualebit, cùm ille pretium definierit: falsó.

546 Nam hoc ipsum ante Iustinianum Caius[e] respondit, si modò Caii esse uelitis, responsum.

547 Pretium consistere, nisi in numerata pecunia; tum a iuriscõsultis[f], tum ab imperatoribus[g] constitutum est.

548 Vnde Sabini, & Cassii sententiam reprobarunt qui alia in re pretium, quàm in pecunia numerata, constituebant: Neruaéq., & Proculi tum Paullus, tum Diocletianus, & Maximianus cum nostro Iustiniano sententiam approbarunt: falsó.

549 Ac si emptio, & uenditio ante nummos excogitatos nõ fuisset! Esto; at hominum consensu nummis repertis, in ipsis tantùm pretium constitutum est.

550 Sed quid prohibet, quò minùs, etiam post eosdem repertos, sine iis consistat!

G 2 Sti-

a l. laudabi'e C. de aduo diuer. iud. Nou. 117.

b l. 23. §. 1. de bon. lib.

c Insti. c. 27.

d l. ult. C. de contr. empt.

e l. 25. loc.

f l. 1. de cõtra. empt.

g l. pe. C. de rer. permu.

551 Stipulationes his conceptae uerbis, *Pridie quàm moriar*, aut, *Pridie quàm morieris*; quae olim inutiles habebantur, sicut illae, quae post mortem; Iustiniani a instituto comprobatae sunt; inepté.

a l. 11. C. de contra empt.

552 Modò stipulationes institutae sint adquirendi caussa inter uiuos, non autem post mortem; cuius tantùm caussa, instituta testamenta sint.

553 At quid? nónne pacisci licet, ut post mortem detur actio?

554 At haec pactio, mortis caussa donatio appellanda.

555 Sed audi, An fieri potest, quemquam post mortem suam dare, aut cuiquam post mortem suam dari!

556 Ceterùm, si Vlpiani, rationem inuentae stipulationis non adspernaberis, ut scilicet sibi adquirat, quòd sua interest esse inuentas huiusmodi obligationes.

557 Stipulationes, quae obligationem ante condicionis euentum constituebant, praeposterae, inutilésq. habebantur; Iustiniani imperio in usum deductae, receptae sunt: inepté.

558 Haec itaque stipulatio Iustiniano ualebit, *Si nauis cras uenerit, hodie dare spondes?* & tamen repugnantia continet.

559 Contractus emptionis, quem per scripturam fieri conuenit, nisi perscripto ritè instrumento, fieri non possit, Iustiniani uelut nouo instituto cauetur: falsó.

560 Nihil igitur noui statuit Iustinianus? Nihil, praeterquam quòd ad nonnulla conficiendi instrumenti solemnia pertinet. Quod ut nunc, sic etiam iamtum ueteri illo iure obtinuisse non dubito.

561 Sed quo auctore hoc putas? Cicerone, & Vlpiano. Quo loci? Vbi dicit, Sine pretio nulla uenditio est. *non autem pretij numeratio, sed conuentio perficit, sine scriptis habitā emptionē.* nisi postrema uerba non Vlpiani esse putemus, sed Triboniani, ut doctis quibusdam placuit.

562 *Si nihil*; ait Imperator; *de partibus lucri, & damni nominatim*,

tim conuenerit, aequales scilicet partes, & in lucro, & in damno spectantur.

563 Nos, si de omni impendio haec accipiatur, errare tuemur. nam si impar expensi ratio fuit, imparem quoque accepti rationem, cum Aristotele putamus.

564 Diocletianus, & Maximianus[a] rescripserunt, ea, quae per infitiationem in lite, crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse: iniqué. a l. 4. C. de cond. ind.

565 Eius rei rationem, cum quibusdam doctis, obscurã esse aio, nec quae communiter datur, quidquam facere.

566 Iniquum enim uidetur, ut qui legatum, dare nũquam damnatus, uel damnum numquam dedit, si eo nomine indebitè soluisset, iccirco eum perdere solutum.

567 Nisi regulam illam non ita generaliter accipere uelis, ut eruditi quidam.

568 Imperator[b] ait, *dubitatum fuisse apud ueteres, si ex parte soluendo sit is, qui rem utendam accepit; ut possit non in totum, sed particularem solutionem ei facere; an habeat furti actionem, an non:* falsó. b l.ult.C. de furt.

569 Non enim putamus ullum dubium fuisse apud antiquos. quod nobis palàm facit unus ex illis Iabolenus.[c] c l.114.de uerb. sig.

570 Quod scripsit Imperator, *apud antiquos fuisse quaesitum, & paene fuisse concessum, ut re commodata surrepta, commodatario, qui soluendo esset, non autem domino, furti actionem dandam:* falsum putamus.

571 Non enim hoc fuisse dubitatum inter ueteres; immo pro confesso, & explorato in pandectis tradi: nisi emendanda sit Iustiniani littera, ut quibusdam eruditis uidetur.

572 *Certum est;* ait Imperator; *non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere,* SI PARET EVM DARE OPORTERE: *quia quod actoris est, id ei dari non oportet.*

Nos

a C. de for.subl.

573 Nos uerò contrà, immo si ita dare oportere dicat, caussam non amittet, ex lege ipsius Iustiniani.[a]

574 Cur hoc? Quia pinguiùs loquens quis Latinè, Dare, pro Restituere, poterit usurpare.

575 *Noxa*; ait Imperator; *est corpus, quod nocuit, idest, seruus: Noxia ipsum maleficium:* falsó.

576 Nugatorium enim hoc, & confictum ab Latinae linguae imperito. Noxia enim non reperitur; & in *Noxae* uerbo, *nomine* intelligi debet.

577 *Aequè*; ait Imperator; *si debitor creditore deferente, iurauerit, nihil se dare oportere, adhuc obligatus permanet. sed quia iniquum est de periurio queri, defenditur per exceptionem iurisiurandi:* falsó.

b l.7. de iureiu.
c l.9.eo.

578 Actionem enim per iusiurandum, ipso iure concidisse, ac penitus interiisse, tenemus. quod & edicti[b] uerba, & Vlpiani responsum comprobare probabimus.

579 Nisi dicas, ut quibusdam uidetur; praetorem non cogniturum; sed actionem cum exceptione daturum, si is, scilicet, aduersùs quem iudicium petitur, apud praetorem obiiciat, se iurasse: tunc enim de eo praetor non cognoscet.

580 *Summa*; ait Imperator; *diuisio interdictorum haec est, quòd aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria:* falsó.

581 Non enim haec summa est, nec prima, nec essentialis, cùm tantùm interdictorum accidentia attingat, nimirũ uerborum formam.

582 Meliùs itaque Vlpiani diuisio, & quae substantiam, materiam, scilicet, & uim interdictorum tradidit; cùm alia de rebus diuinis, alia de publicis, alia de possessionibus interponi ait.

583 *Publica iudicia*; ait Imperator; *dicta sunt, quòd cuiuis e populo exsecutio eorum plerumque datur:* falsó.

584 Non enim ideo Publicum dici existimamus, quia cuiuis e populo datur; sed contrà, quòd non propriè ad ullum ciuem pertinet,

pertinet, sed aequè uniuersè ad omnes, Publicũ esse dicimus.

585 Quid esset Iuris prudentia, primi, & ueteres iurisconsulti in uarias sententias, & sectas deducti, mihi esse uisi sunt: alii enim ius esse quandam artem, opinati sunt: falsó.

586 At huius sententiae Celsum, Marcum Tullium Ciceronem, Vlpianum, & ceteros ferè omnes iurisconsultos fuisse constat; nónne? Scio.

587 At alii crediderunt, Iuris prudentiam esse scientiam: falsó.

588 Hui, Vlpianus eam scientiam esse putauit, ac per eam definiuit; & Imper. sectatus est eius opinionem; qui eam Diuinarum, & humanarum rerum notitiam, iusti, & iniusti scientiam descripsit: negas? Haudquaquam.

589 Non erit propria cognitio Iuris prudentia? Minimè gentium.

590 Ecquid enim cognitio aliud est, quàm separatio, & discretio ueri a falso? Iuris prudentia uerò non distinguit uerum a falso.

591 Erít ne scientia? Neque idipsum.

592 Quid Iuris prudentia? & circa quae? Circa contingentes res, corruptioni, generationiq. quae in nostra potestate sitae sunt, obnoxias

593 Erít ne Intellectus? Intellectus! immo prudentia, & intellectus sunt duo habitus rerum contrariarum, & oppositarum.

594 Erit fortè sapientia, ut opinatus est Celsus? Mihi certè numquam.

595 Cur ita? Quia sapientia est habitus, ex scientia, & intellectu compositus.

596 Erit saltem opinio? Neque etiam opinio. quia opinio est rerum tum earum, quae a natura; tum earum, quae a nobis efficiuntur; itémq. earum, quae sunt, uel non sunt.

597 At habeo. cum Vlpiano, & Cicerone sentis, Ius esse artem. Neque ars esse potest. uel ex nomine certior fieri poteris.

598 Sed quid, si omnes idem sensisse defendamus; ac potiùs istaec omnia, placita otiosorum philosophorum, praesertim

Ari-

Aristotelis commenta, probemus !

599 *Ius naturale;* ait Vlpianus[a]; *est, quod natura omnia animalia docuit:* falsó.

a l. 1. de iust. & iu.
b l. 5. eo.

600 Non enim ius belluas habere fas est.

601 *Ex hoc iure gentium;* ait Hermogen.;[b] *introducta bella, discretae gentes.* quem & Imperator secutus est: falsó.

602 Bella enim iuri naturae potiùs quàm gentium, accepta ferimus.

603 Falsò ergo Iustinianus, dum seruitutes, & captiuitates etiã illi iuri acceptas refert? Falsus.

604 *Iulianus*[c] *libro septimodecimo digestorum, tres esse species mortis caussa donationum ait;* ut refert Vlp.; *Vnam, cùm quis nullo praesentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis, donat, &c.*

c l. 2. illo tit.

605 Item Paullus, *mortis caussa donatio fit multis modis, aliàs extra suspitionem ullius periculi; a sano, & in bona ualetudine posito, & cui ex humana sorte mortis cogitatio est:* omnes falsó.

606 Non enim hanc, mortis caussa donationem, esse putamus. potiùs enim, inter viuos donatio, nobis videri potest.

607 Et quando caussa mortalitatis euanescet, cuius quidem, periculum est caussa efficiens ! uumquam itaque: donatio eiusmodi peribit, quae, extincto tantùm periculo, euanescere solet.

608 Vnde non erit uerum quod uulgo dicitur, donantem se malle habere, quàm eum, cui donat.

609 Rectiùs itaque Martianus,[d] *ubi ita donatur mortis caussa, ut nullo casu reuocetur, caussa donandi magis est, quàm mortis caussa donatio. & ideo perinde haberi debet atquè alia quaecuis inter uiuos donatio.*

d l. 27. eo.

610 *Riparũ;* ait Caius; *quoque usus publicus est iure gentium, sicut*

cut ipsius fluminis; sed proprietas earum, illorum est, quorum praedijs haerent: falsò.
611 At Imperator postea idem confirmauit.
612 Scio & Celsum filium hoc idem priùs scripsisse, ut Pomponius [a] refert. a l. 30. de acq. re. do.
613 Omnes igitur hi falsi? Falsi.
614 Quid pro te habes? Rei naturam.
615 Sed nullum iurisconsultum, ac auctoritatem; quibus leges regi solent; habes? Habeo & consultum.
616 Quem? Paullum[b], qui Labeoni hac ipsa in quaestione refragatur. b l. 65. eo.
617 Arbor itaque in ripa fluminis nata, uicini non erit? Licet.
618 Hoc uerò dixerunt Caius, & Celsus. Assentior.
619 Cur itaque contra ipsos tenes? Sed non quia solum priuatum est, sed alia ratione.
620 *Quod per alluuionem*, ait Caius; *agro nostro flumen adijcit iure gentium nobis adquiritur:* falsò.
621 Nam alluuionem non gentium, sed Iure ciuili (ut a iurisconsultis usucapionem) institutam dicemus; disputatione uidelicet iurisconsultorum, qui dominorum negligentiam coërcere uoluerunt.
622 Vnde haec prodis? Ex Aggeni Vrbici, De limitibus agrorum, libro, & Cassii Longini, prudentissimi Iuris auctoris, uerbis patet.
623 *Dolum malum Seruius quidem ita definit*; ait Vlpianus[c]; *machinationem quandam, alterius decipiedi caussa, cùm aliud agitur, & aliud simulatur.* c l. 1. de do. mal.
624 Verùm haec definitio proba esse, non uisa est Antistio Labeoni; quòd tam simulatio absque dolo, quàm dolus malus absque simulatione esse possit.
625 Ergo eadē ratione minùs proba illa C. Aquillii Galli, qui aliquando interrogatus a Cicerone, quid Dolus malus esset,

respondisse fertur, *cùm aliud agitur, aliud simulatur.*

a li. 1. sen. 626 Eodem pacto illa Paulli [a] iisdem perscripta uerbis.

627 At strictior illa Pedii, qui, *dolo*, ait, *fieri, quoties circumscribendi alterius caussa, aliud agitur atquè agi simulatur.* nec hãc reprehendit Vlpianus alibi.

628 At haec non differt ab illa Serui Sulpicii? Ais.

629 Cur itaque approbat illam Labeonis? Quam?

630 *Labeo autem;* scribit Vlpianus; *ipse sic definit dolum malum, Esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio uera est*, ait Vlpianus.

631 Falsa itaque illa Sulpicii? Non video.

632 At approbat Labeonem reprehendentem Sulpicium. Sed alibi similem non reprobat definitionem, Sulpicii definitioni.

633 Quid, si Labeonis definitionem parum differre ab illa Sulpicii, doli definitione, teneamus! Quo pacto?

634 Quid aliud est, esse machinationem quandam, alterius decipiẽdi caussa, cùm aliud simulatur, & aliud agitur; ut Sulpicius; quàm omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibitã, ut Labeo putat!

635 Falsò itaque reprehenditur Sulpicius? Si non captetur eius definitio, sed ex aequo, & bono aestimetur.

636 Hoc pacto uersum illum, cum quibusdam eruditissimis, nõ esse Vlpiani, ex Sulpicio, teneamus oportet, *machinationem quandam, alterius decipiendi caussa?* Tunc rectior esset Labeonis reprehensio.

637 Falsò itaque Tu defenderis Labeonis reprehensionem, cõtra Sulpicium, in adnotat. ad legem 1. De dolo malo? Minimè.

638 Nam si exactiùs definitio expendatur, priora uerba Sulpicii

cii ſat erant; ſuperfluè autem haec, *cùm aliud agitur*, &c. quae, fallaciae propriè conueniunt.

639 Modò ergo dolus ſine fallacia ſit, & aliis artibus, machinis, ac tendiculis probetur, tum uerior eſt illa Labeonis, ut doctiſſimi animaduertunt.

640 *Mutuum*; ait Paullus; *ex eo dictum, quòd ex meo tuum fiat.*

641 Veriorem fortè trademus, doctiſſimorum iudicio, originationem Mutui; quàm quae Paulli eſt.

642 *Eſt autem tutella; ut Seruius*[a] *definiuit; uis, ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem ſua ſponte ſe defendere nequit; iure ciuili data, ac permiſſa:* falsó. a l.1.de tu.

643 Cur hoc? Modò ſit uerum, quod alibi Vlpianus[b] dixit: *tutores, ait, conſtituuntur tam maſculis, quàm feminis: ſed maſculis quidem impuberibus dumtaxat, propter aetatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus, quàm puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.* b inſt.tit. 11.

644 Quid, ſi Seruius definierit ſolam marium tutellam? At non propterea excuſaretur Imperator, uel Tribonianus, qui feminarum nullam docuit.

645 Addenda fortè haec uerba, ut Cicero dicit, *aut infirmitatem conſilij.*

646 Ait Vlpianus, de Atiliano[c] tutore loquens, *diuus Seuerus, & imperator Noſter huiuſmodi conſulum, uel praeſidum decreta quaſi ambitioſa eſſe interpretati ſunt:* falsó. c l. ç. de min.

647 Nam ſi Capitolino[d] credimus; dū, *praetorem,* inquit, *tutelarem primus fecit, cùm antea tutores a conſulibus poſcerentur, ut diligentiùs de tutoribus tractaretur;* non rectè ad Seueri tempora tutelaria conſulum decreta traxit Vlpianus. quia nulla cura conſulibus, imperante Seuero, ſed omnis praetori d De Antonino imp. loquenti.

 tute-

tutelari pupillorum, minorúmq. cura incumbebat; eóq. iure ante Seuerum populus Romanus, annos prope triginta, usus erat: nisi in uerbo *Consulum*, mendum esse, cum quibusdam doctis putemus.

648 *Testamenti factio*; ait Papinianus; *non priuati, sed publici iuris est*: falsó.

649 Cur ita? Quia tametsi priùs calatis comitiis, ante translatam in principem potestatem, populi Romani ópus haberet auctoritate, attamen sublato iure publico, calatísq. comitiis, testamenta condi desierunt.

650 Quid tum? Priuato tum iure per aes, & libram condebantur, ut nec principalis quidem in iis interponeretur auctoritas: & hoc pacto, Papiniani tempore fiebant.

651 Nónne ius faciendorum testamentorum, iure publico, & legibus tribuitur? Quid tum?

652 Rectè ergo Papinianus. At non hoc quaeritur apud Papinianum, sed cuius iuris sit testamenti factio.

653 Differt itaque, quo iure tribuatur, & quo iure fiat. Quid!

654 Omnium actionum; ait Vlpianus; summa diuisio in duo ge-
,, nera diuiditur; aut enim in rem sunt, aut in personam. quod &
,, itidem secutus postea Imperator: falsó.

a §.18. de act.
b l.22. fa. ercis.

655 Dantur enim mistae, quae tum in rem, tum in personam, ut & Imperator[a], & iurisconsulti [b]dixerunt.

656 *Haec uerba* ait Proculus li. 2. Epist. *Ille, aut ille, non solùm disiunctiuae, sed etiam subdisiunctiuae orationis sunt. disiunctio uidetur esse, cùm dicimus, Aut dies est, aut nox est: quorũ posito altero, necesse est tolli alterum; item sublato altero, alterum poni*: falsum.

657 Orationem disiunctiuam definit per syllogismum disiunctum, ubi de disiunctis duobus assumitur, ut reliquum in cõplexione tollatur; aut tollitur, ut statuatur.

Quid,

658 Quid, si non in omni disiuncto uerum esse istud, comperiamus; ut sit reperire ueram disiunctionem, attamen assumpto, & posito altero, non tolletur reliquum, ut ei contrarium concludatur: ut Aut decem possunt, aut unus non potest. at, Vnus non potest, non tollatur ob id, ergo Decem non possunt: & tamen esset secundùm regulam Proculi.

659 Sequitur Proculus, *Subdisiunctiui genera duo sunt, unum, cùm ex propositis finibus ita non potest uterque esse, ut possit neuter esse; ueluti cùm dicimus, Aut sedet, aut ambulat. nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, ueluti is, qui accumbit: alterius generis est, cùm ex propositis finibus ita non potest neuter esse, ut possit utrumque esse; ueluti cùm dicimus, Omne animal aut facit, aut patitur. nullum est enim, quod nec faciat, nec patiatur; at potest simul & facere, & pati:* falsó.

660 Aquam profluentem; quam communem esse Iustin. scribit; Accursius pluuiam esse putat, & quae de caelo; ait ipse; cadit: falsó.

661 Pluuia itaque quo nomine intelligetur? Aëris quidem nomine comprehenditur.

662 At illius, si Profluens alia intelligatur, non esset communis usus, sed proprius. Nego.

663 Rescripserunt Alexander, & Claudius, posse prohiberi. Homonymia te fallit.

664 DE IVRISDICTIONE OMNIVM IVDICVM in pandectis sic legi, falsum.

665 Iusdicentem esse, qui habet merum, & mistum imperium, Interpres, & alii putant: falsum.

666 *Qui magistratum*; ait edictum; *potestatémue habebit, si quid in aliquem noui iuris statuerit, ipse quandoque, aduersario postulante, eodem iure uti debet.* a l.1.quod quisq.iur.

667 Accursius uerò, & Bartolus ad statuta ciuitatum, ad rescripta

pta principum, ad priuilegia referentes, falsum scripserunt.

668 Quasi alia ratione statutum, uelut lex communis municipii, non teneat omnes; uel princeps non possit indulgere priuilegium, quod personam non egrediatur, uel rescriptum.

669 *Nouum ius statuerit*, Accursius, & Bartolus, & ceteri, pro statuto, & lege municipali intelligunt: falsó.

670 Statutum pro Lege municipali, uerbum inauditum fuit praetori, & consultis Latinis.

671 *Ipse quandoque, aduersario postulante, eodẽ iure uti debet.* Accursius, Bartolus, & plerique omnes putarunt non pertinere poenam ad eos, contra quos non fuit impetratum nouum ius: falsó.

672 Non enim hic, eo postulante, in quem dixit, sed *aduersario postulante*, praetor ait; idest, quicumque postea, aduersarius futurus est magistratui ipsi.

673 Ergo quòd poenam edicti, QVOD QVISQVE IVRIS non extendi, Accursius, & Bartolus putarunt, ad omnes aduersarios, sed ad eum tantùm, aduersùs quem obtinuit; falsó.

674 Quin peruertunt hi sententiam edicti.

675 Duumuiros Accursius confundit cum municipalibus magistratibus, & defensoribus ciuitatum: falsó.

676 Melior itaque eorum est sentẽtia, qui duumuiros, duos ex ipsis decurionibus fuisse existimant.

677 At Angelus maximum fuisse duumuirum magistratum existimat. At maximè labitur.

678 Fuerunt tamen duumuiri Capitales, qui capitalibus quaestionibus praefuissent. Verùm de his non intelligit Vlpianus.

679 *Is uidetur, ius dicenti non obtemperaße, qui quod extremum in iurisdictione est, non fecit.* Extremum, ait Accursius; idest, Minimum, uel Vilissimum: falsó.

680 Quae uerò tertiò Accursius comminiscitur ex Ioann. ut extremum intelligat pro Primo, & Vltimo iurisdictionis; exemplo

plo maioris, & minoris extremi syllogismorum; ridiculum putatum est a multis, attamen defendi posse remur.

681 Bulgarus uerò Extremum, id est, Vltimum, & Exsecutionem sententiae, exposuit. cuius interpretationem Interpres oppugnat: falsó.

682 Accursius Interpretationem Bulgari, ad actorem accommodari non posse existimat, quòd Vlpiano repugnat: falsó.

683 Quin etiam si actor in iudicio reali uictus, ad expensas, & sumptus condemnetur; recuset autem id, quod extremum iurisdictionis est, nempe exsecutionem fieri, nónne ad actorem extendetur!

684 In iudicio, SI QVIS IVSDICENTI, non meram poenam contineri, doctores putant: falsó.

685 Quid! ait Vlpianus, *Et cùm meram poenam contineat, neque post annum, &c.*

686 Propinquorum hereditatem, in stirpem, non in capita diuidendam esse, Accursius, & plerique alii putant: falsó.

687 Ac si ex parentum persona, & successione, in ipsorum gradum, & non iure proprio; quia scilicet agnati, hereditatem peterent.

688 Quin & Vlpianum habent, in hac re, contrarium eis, docentem.

689 Iusdicentem, & Iudicem, idem esse putant Bartolus, & alii: falsum.

690 *Iusdicentis officium latissimum*, quòd dixit Vlpianus, de omni iudice locutus uidetur Bartolo: falsum.

691 Iudicem, necessitate cogi ad ius dicendum, probari ex lege Munerum. §. Iudicandi, D. De mun. & hon. putat Bartolus: falsum.

692 Officium Iudicis, prout non cohaeret personae, idem quod Iurisdictio, transposito tantùm significatu, significare uidetur Bartolo: falsum.

693 Bartolo uidetur Iurisdictio inesse personae: falsum.

Et

694 Et qui eodem pacto diceret inesse territorio: falsum.
695 Quod Interpres, & Bartolus dicunt, Ab Vlpiano non afferri, neque esse, definitionem meri imperii, quae scribitur ad L. Imperium, De iurisdictione: falsum.
696 Iurisdictionem dici a Iuris, & Ditione, Interpres, Bartolus, & alii: falsum.
697 Bartolus dicit, de misto imperio; *cui & iurisdictio inest;* sicut genus inest speciei suae: falsum.
298 Imperium Bartolo est Iurisdictio, quae officio iudicis nobili expeditur: falsum.
699 Merum imperium inde dicitur Bartolo, quasi Liberũ; hoc est, quia collatum in principem imperium, libere, nulli necessitati subiectum: falsó.
700 Deinde Merum, idest Liberum, non Seruum: falsum.
701 Iurisdictio; ait Bartolus; accipitur in genere generalissimo: falsó.
702 Ac si supra Iurisdictionem non esset aliud genus, Potestas, vel Qualitas.
703 In primo gradu, Bartolus, meri imperii, legis condendi potestatem ponit: falsó.
704 Quid enim commune habet legislator cum iusdicente, & praetore!
705 Bartolus item putat, iisdem magistratibus competere mistum, quibus merum defertur: falsó.
706 Ecquis enim dubitat, praetoribus, aliis sortem de criminibus, & rebus capitalibus, aliis uerò iuris dicundi de re priuata, obtigisse!
707 Merum imperium est iurisdictio, quae officio iudicis nobili expeditur, publicam utilitatem respiciens principaliter: falsó.
708 Quin Bartolus parum sibi constat, cui iurisdictio non diuiditur in Imperium merum.
709 Sed quid! iurisdictio expeditúr ne? Si priùs ligata fuit.
At

710 At haec finitio obſcurior eſt profectò ſuo definito.
711 Sed an alii magiſtratus, alia iuriſdictionis ſpecie utentes, publicam non reſpiciunt utilitatem!
712 Officio, ait, nobili, quia per ſe ſtat: falsó.
713 Ergo ſi per accuſationem quis quemquam puniat, efficietur mercenarium.
714 Miſtum imperium; ait Bartolus; eſt iuriſdictio, quae iudicis officio nobili expeditur, priuatam utilitatem reſpiciens: falsó.
715 Per id, quod dixi; ait Bartolus; iudicis officio nobili, differt a iuriſdictione: falsó.
716 Ad petitionem enim fideicommiſſi non ſolùm competit actio, ſed etiam officium iudicis.
717 Iuriſdictio; ait Bartolus; eſt, quae officio iudicis mercenario expeditur; priuatam utilitatem reſpiciens: falsó.
718 Sed Bartole, dare iudicem, éſtne iuriſdictionis? Ita ait Vlpianus.
719 Mercenario itaque officio dabitur iudex.
720 Bartolus ait, cauſſas liberales, & ſtatus, eſſe maximi gradus iuriſdictionis: falsó.
721 Modò definitionem a ſe datam defendere paratus ſit: non enim haec officio mercenario expedietur, ſed nobili.
722 Quod Salomonius, Longouallius, & Goueanus dixerunt, merum imperium poſſe definiri, ut ſit, Cui grauior, & atrox competit coërcio: falsò, & obſcuré.
723 Miſtum ſit modica coërcio, cui iuriſdictio ineſt: falsó.
724 Ecquid enim coërcio cum aliquo iſtorum!
725 Definitiones itidem, quas affert Speculator, falſas, ac obſcuras, ut ceteras, ſuſtinemus.
726 Et ne ſingula, quae infinita ſunt, perſequi uideamur; omnia,

quae Bartolus ipſe dixit de iuriſdictione, falſa eſſe tenemus.

727 Quod interpretes aiunt, ſolam furti nec manifeſti actionẽ, aduersùs raptores dari: falsó.

728 At Paullus ſcribit, aduersùs manifeſtarium ereptorem nec-manifeſti furti actionem dari. Licet.

729 Quid! ergo iſta tantùm teneri docet!

730 Falſus Accurſius, & ceteri, qui definitione actionis omnem in Iure actionem complecti putant.

731 Actionem omnem uel in perſonam, uel in rem eſſe; quam diuiſionem doctiſſimi quidam a fine petitam tenent: falsó.

732 Nos uerò, a materia potiùs ſumptam.

733 In conſtituto quamuis, ſi ciuilis fuit obligatio, magna utilitas non perſpicitur, attamen ſi mutetur; ueluti ſi ſub condicione, uel in diem debitum iure conſtituatur; quaeſitum uideo, an priori actione uti non liceret.

734 Licèt quidam, non licere dicant; nos contrà, non modò nõ extingui priorem obligationem, uerùm etiam quamuis actũ ſit conſtituticia; non facta tamen ſolutione, agi ex ea poſſe.

735 *Omnes actiones*; ait Iuſtinianus; *aut ipſo iure competere, aut a praetore dari:* inde doctores putant, actiones alias Natiuas, alias Datiuas dici actiones: falsó.

736 Nullae enim ſunt Datiuae actiones, quamuis quaſdam actiones, praetoris edicto eſſe conſtitutas, numquam negauerim.

737 Nec quis dubitet, omnes actiones a praetore eſſe impetrandas.

738 *Teſtamentum ob ſerui teſtimonium, qui & liber habebatur, nec ſtatus controuerſiam patiebatur, non uitiari*, dixit Iuſtinianus. a

a l. 1. C. de tut.

739 Cuius rationem putant eſſe uulgò, quòd communis error facit ius: falsó.

Ri-

740 Ridiculum enim eſt, quod imperium, poteſtáſq. ſumma Caeſarum peperit, communem errorem auctorem facere.

741 Quod Accurſius, Bartolus, & alii doctores dicunt, mutuum duplex eſſe, ſcilicet naturale, & ciuile; quod ſcilicet ex chirographo debetur: falsó.

742 Nec enim Paullum umquam de hoc mutuo mentionem feciſſe apparet; & cui etymon mutui contradicat.

743 Omnia igitur, quae de natura, cooperante mutuo ciuili, congerunt doctores; falsó? Immo mera ſomnia.

744 Quod autem Bartolus de teſtibus concordandis dicat, ſcilicet ſi unus dicat, negotium factum eſſe ante nuptias, alius ueró poſt nuptias; ut intelligendum ſit, ante nuptias ſcilicet finitas, &, poſt nuptias ſcilicet contractas: falsó.

745 Ergo meritò deridet eum Baldus alibi.

746 Quod Accurſius, Bartolus, & ceteri doctores Longobardi tenent, duas eſſe certi condictiones diſtinctas, & ſeparatas, unam, quae generalis dicitur, alteram, quae certi condictio ſpecialis ex mutuo: falsó.

747 Stipulationem etiam ſine cauſſa inualidam eſſe cenſet Roffred., Zaſius, & alii: falsó.

748 *Eum,* ait Vlpianus; *qui ſine cauſſa ſtipulatus, litem conteſtatur, doli exceptione repelli.* nata eſt igitur obligatio ipſo iure.

749 Quod ait Vlpianus, *euictus eſt Stichus: Iulianus, in factũ actionem a praetore dandam: Ille ait, ciuilem incertam actionem,* &c. Bartolus, & ceteri, actiones alias eſſe natiuas, alias datiuas dixere: falsó.

750 Nulla enim actio dari a praetore, non rectè dicetur.

751 In ea ſtipulatione, qua quis ſtipulatur debitum in tribus terminis, ſeu intra tres terminos proximos, & nihil nominet ampliùs; utiliter ſtipulatum. At intra tres annos pecuniam ſoluẽdam Bartolus reſpondit, ex l. 3. De ann. legat. falsó, & puerili

ter, ex ignoratione bonarum litterarum errauit: Quo nomine eiusmodi paene infiniti eius errores leguntur.
752 Rectiùs ergo Raphaël Cumanus opinatus est, qui, arbitrio iudicis, terminos declarari scripsit.
753 Quod in definitione legati, a Iustiniano adiectum uiderunt doctores; ut scilicet *sit donatio, a defuncto relicta, ab herede praestanda*; haec uerba postrema non adiicienda tenemus; ideóq. falsò doctores putant.
754 Nam legatum sine facto heredis, recta uia in legatariũ transit, ex Papiniano.[a]
a l.80.eo.
755 Falsò itaque illi, qui in testamenti definitione comprehendi legatum dixerunt.
756 Non ergo erit pars essentialis testamenti, ut quidã dicunt? Minimé.
757 Neque, ut alii, quantitatiua? Immo neque subiectiua.
758 Excludis itaque omnino legatum a testamento! Excludam!
759 Licèt non esse partem, profitemur.
760 Quidam, bonorum possessionem esse aliquid, defendunt: falsó.
761 Sed quid, si aliquid esse, nos concedamus!
762 Duplicem faciunt bonorum possessionem; alteram edictalem, quae competit ex edicto praetoris mortui, & respicit ius quaerendum; alteram decretalem, quae decernitur per praetorem uiuum, in qua de iure iam quaesito: falsó.
763 Et hi sunt Accursius, Cynus, Bartolus, & Baldus, & Paul. Castr. & communiter doctores. Et communiter falsa obtrudunt.
764 Quidam praetorem, heredem posse facere, contendunt: falsó.
765 Quaerunt doctores cur, cùm ex Paullo, dominii principiũ & caussa fuerit ipsa possessio, de dominio adquirendo Compositores P. priùs docuerunt, quàm de possessione. &, Petri Belaperticensis impugnata opinione, uel suppleta, respondit Soccinus, a dominio, ut a magis confuso, ad tractatum
de

de possessione,ueluti distinctum magis,transisse: falsó.

766 Et si ordinem in his centonibus non religiosè quaerendum tenemus; tamen, si naturam spectes,dominio priorem ponamus;at non,si dignitatem,ac perfectionem, iurísq. auctoritatem: nam ita posterior est possessio.

767 Sola traditione dominium adquiri, Placentinus, Ioannes, atque Azo scripserunt;uacuam possessionem abnegantes: solámq.asininam,ut uocantis: satis esse admittentes: falsó.

768 Quin idem Accursius,Odofredus,Bartolus,atque Baldus, ceteriq. falsum falso addiderũt: ac l. Si fundum, De fundo dotali,declaratum iri.

769 Bartolus, & ceteri, possessionem discerpunt in naturalem, corporalem, & ciuilem; & quaedam fingunt: omnia falsó.

770 Tam est enim ridiculum putare, quemquam solo corpore possidere,quàm si diceres, mortui hominis cadauer possidere fundum,ubi iacet.

771 At solo animo possessio haberi potest? Licet.

772 Solo autem corpore,nisi uoluntas adsit, non potest.

ANTONII

ANTONII PERSII POSITIONES PRO IVRE CIVILI.

773 TAmetsi quid esset Iuris prudentia, in uarias sententias deducti fuerint; eorum tamen, meo quidem iudicio, ceteris probabilior uisa est sententia, qui Iuris ciuilis cognitionem neque ad artem, neque ad scientiam, referri posse, sed esse potiùs quandam prudentiae partem, sicuti ferendarum legum peritiam, existimauerunt.

774 Haec enim a Iuris prudentia, sola ratione, non re, & subiecto, differre uidetur.

775 Huius opinionis & Plato, [a] & Aristoteles, non uno in loco, fuisse perhibentur.

a li. de Rep. & leg.

776 Quamquam existimo, penitus nullam, aut certè perexiguam tantùm uerborum controuersiam huic disceptationi inesse.

777 Iccirco Cicerònem, Iustinianum, Celsum, Vlpianum, ceterosq. omnes diuersis notis, atque descriptionibus eandem rē significare exprimereq. uoluisse.

778 Iuris prudentiam itaque non esse habitum cognoscendi, aut efficiendi, tenemus; sed agendi, & prudentiae partem.

779 Non enim ars ipsa Iuris prudentia erit, cùm quaelibet ars proprium habeat, & particularem aliquem finem, cuius gratia est profectó: iurisconsultus uerò non uoluptates, non priuata corporis, aut fortunae, sed totius humanae societatis bona cō sectatur.

780 Versatur enim in ciuili societate; in qua felicitatem; cuius gratia omnis societas constituta est; nititur conseruare custodireq.

781 Tuetur enim iurisconsultus iustitiam politicam, uirtutem om-

omnium praestantissimam, & nobilissimam, quae suo ambitu ceteras omnes continet, complectitúrq.

782 Iuris prudentiam quoque ceteras artes, & scientias omnes, quae in actione cernuntur, finis, ac subiecti generis nobilitate, superare atque excellere tenemus.

783 Nobilitaté ne Medicinam Iurisprudentia, ceterásq. disciplinas anteuertit? Nulli dubium esto. Quod & ante nos Aristoteles rectè perstrinxit.

784 Fine equidem ceteris artibus praestat, propterea quòd Iuris prudentiae finis est ipsum bonum simplex, summum, & extremum; quod per se tantùm expetitur, & ad quod cetera omnia tamquam ad perfectissimum, & ultimum aliquid referuntur.

785 Huius porro finis est ipsa felicitas, quae in societate humana spectatur.

786 Iam uerò genere subiecto, alias artes a Iuris prudentia longè superari, quis non uidet!

787 Non uideo. Videbis, si earum subiecta cum subiecto Iuris prudentiae comparaueris. ad cuius quidem respectum uiliora erunt illa.

788 Iuris prudentia uerò longè diuiniùs quoddam considerat.

789 Bonum, & aequum forté? Non utique.

790 Iustitiam ergo? Tantundem.

791 Bona animi? Ne id quidem.

792 Scio. actiones hominum, qua legitimae sunt: quod & aliàs tutatus es, & ab eruditissimis comprobatur. Nescis.

793 Quid itaque? Homo, inquam, quatenus ratione praeditus est, eáq., in societate hac, & ciuili communione utitur; quem iurisconsultus omnibus uirtutum generibus, maximè uerò ea, quae ad iustitiam pertinet, instructum, ornatúmq. efficere conatur.

794 Iuris autem ciuilis, disciplinae cognitionem sine Politices, Oeconomices, & Ethices notitia haberi minimè posse, tenemus

mus

mus; tum quia hae disciplinae sunt partes, & principia Iuris prudentiae, tum quia suppeditant rationes, & caussas actionũ, & honestatis fontes aperiunt.
795 Iuris ciuilis ergo studium, ultimum inter has artes sibi uindicare locum; túmq. rectè, & magno cum fructu doceri ac tradi, si priores illae scientiae tamquam prima eius principia & elementa praecedant.
796 Iuris prudentiae finem aliter alii concipiunt, atque alii. quidam enim Iuris prudentiae finem, tranquillitatem reipublicae.
797 Alii, iustitiae, seu (ut Cicero dicit) *legitimae, & usitatae in rebus caussisq. ciuium aequalitatis conseruationem.*
798 Nonnulli autem, in legibus interpretandis, & aequitate populo explicanda, constituerunt.
799 Nos uerò in humana quadam societate summum bonum, quod per se, & propter se, atque etiam primò expetitur, esse ipsius aequalitatis legitimae conseruationem; quae Iustitia appellatur; tenemus.
800 Alios uerò summi istius boni gratia esse, ac propter illud.
801 Iustitiam uerò duplicem ponimus, particularem, & uniuersalem.
802 Particularem uerò iustitiam uel in distributione, & recta, & legitima diuisione, uel in commerciis hominum emendandis consistere.
803 Distributionem uerò in quadam comparatione consistere, tum personarum, tum rerum inter se, quae personis tribuuntur, notum est.
804 Haec, quae a mathematicis analogia geometrica uocata est; quae propriè in eo spectatur, ut aequalibus aequalia, inaequalibus, secundùm comparationem, inaequalia tribuantur.
805 Altera uerò, quae contractus commerciáq. hominum inter se, dirigit, atque ad aequalitatis normam reducit, biparti-

ta,

ita eſt,ut & ipſi contractus ſeu commercia.

806 Quaedã enim commercia, quae conſenſum ex utraque parte exhibent,ſpontanea atque uoluntaria dicuntur.

807 Quaedam uerò,quia ſine conſenſu partium fiunt, inuoluntaria dicta ſunt ab Ariſtotele.

808 Et quae contra uoluntatem euenire ſolent,aut ex ignoratio
,, ne nobis contingunt;ut furta,adulteria, ueneficia, lenocinia,
,, ſeruorum ſeductiones, dolo & fraude perpetrata homicidia,
,, falſorum teſtium productiones,& his affinia.

809 Aut ui,qua patimur uincula,mortem, raptus, membrorum
,, mutilationem, contumelias atque conuicia.

810 Siue igitur clandeſtina haec mala ſint,ſiue ui illata, ubi deprehenſa fuerint, ab emendatrice iuſtitia corriguntur atque emendantur.

811 Quemadmodum ergo prior iuſtitiae priuatae ſpecies in proportione,ſeu comparatione geometrica,ita haec poſterior in arithmetica.

812 Non tantùm perſonarum differentias; ſcilicet ut ſi quis magiſtratum laedat,grauiùs puniri eum,quàm ſi priuatũ laeſerit; in Iure ſpectari,ſed etiam an nobilis ſit aliquis, an ignobilis; ſeruus,an liber;pater,uel extraneus; & in ceteris eorum diſcriminibus eodem modo.

813 In iis itaque συναλλάγμασι, quae perſonam reſpiciunt, & cõtra uoluntatem aut ui,aut exigua ratione,nobis obueniunt;in quibus poena, & ſupplicium locum habent; non tam iuſtitia emendatiua, quae primò, ac per ſe, quàm diſtributiua cernitur.

814 Altera uerò uniuerſalis appellatur, quae non in debita, & aequali honorum,uel praemiorum diſtributione, aut etiã con tractuum,& commerciorum aequalitate,atque fide ſpectatur, ſed quae omnis uirtutis eſt quoddam receptaculum.

815 Háncq. duplicem faciunt, alteram abſolutam, quae omnium animae uirtutum comprehenſio eſt, & totius animae quaedam rectitudo.

816 Alteram, quae relata est, quatenus ad alium refertur, hoc est, quatenus societatis in consuetudine hominum, uinculum est, ac omnibus reipublicae partibus, ut in anima uiribus, debitum suum reddit.

817 Et haec politica, seu legitima, & uniuersalis quoque appellatur.

818 Haécq. praestantissima; optima, pulcherrima, & difficillima dicitur.

819 Rectè itaque Polus Pythagoricus Lucanus noster, iustitiā hanc, matrem, & nutricem ceterarum uirtutum appellauit. nam sine illa nec temperantem, neque fortem, neque prudentem esse quemquam constat.

820 Haec utilitatem in multitudinem, & uniuersas rerum comprehensiones praestat: si quidem in mundo principatum omnem obtinens, prouidentia uocatur, & harmonia, & cōstitutio generis eiusdem deorum, qui ipsam ita disposuerunt.

821 In ciuitate autem pax, & aequitas meritò nominatur.

822 In domo autem haec est, uiri, & uxoris concordia mutua.

823 Item famulorum in heros beneuolentia.

824 Dominorum autem erga famulos benigna curatio.

825 In corpore sanitas, & perfectio membrorum.

826 Ceterùm in anima est sapientia, quae per scientiam, & iustitiam hominibus comparatur.

827 Haec itaque & legislatoris, & iurisconsulti, & magistratuū, qui illarum custodes, & conditores sunt: haec eadem uirtus ultimum & extremum, ad quod & consilia, & deliberationes, & responsa referantur uniuersa, sit propositum.

828 Obligationes iure gentium ortas esse, exceptis quibusdam, quae Iure ciuili introductae sunt, tenemus.

829 Omnes conuentiones, iuris gentium esse tenemus.

830 At Vlpianus[a] conuentionis tres species facit, & legitimam unam.

l.5. de pac.

831 Vlpiani responsum uero sensu declaratum iri.

Non

832 Non igitur uerum, conuentionem priuatam in legitimam, & iuris gentium diuidi? Minimé.

833 Omnes enim conuentiones siue publicae, siue priuatae, siue denique legitimae sint, iuris continuò gentium sunt.

834 Nihil ergo prohibet, quin publica quoque conuentio iurisgentium sit: & haec quidem definitur ab Vlpiano.

835 Verba igitur, quae sunt in Vlpiani diuisione, *aut iuris gentium*, quid explicant? Nisi Triboniani, aut scioli alicuius sint, nihil omnino. Quin particulam, *priuata*, ut expan. Fl. animaduertitur, temere repetitam.

836 Quod si ita est, erit igitur conueniens; ut eruditi quidam adserunt; eundem, qui tres esse dixit conuentionum species, tres esse iuris gentium conuentionum species, affirmare.

837 Nec quidem iuris dumtaxat gentium conuentio publica est, sed etiam ut legitima esse possit, nihil uetat.

838 Itaque fit ut legitimae conuentiones sint iuris gentium? Nouum fortasse!

839 Rectè itaque Paullus, *legitima conuentio est, quae lege aliqua confirmatur*. Sed antequam confirmaretur, erát ne conuētio? Nisi stipes, uel caudex, nullus negabit.

840 Priuatae etiam conuentiones, cuiusmodi est stipulatio, iuris tam gentium erunt, quàm ciuilis.

841 Cicero mulieres, contendit, perpetua tutella teneri.

842 At Imperator, & consulti contrà duodecimo quidem anno eas a tutella liberari tradiderunt.

843 Ceterùm quid, si utrumque uerissimum esse defendamus!

844 Caius rationem reddere uidetur, de illa institutione loquens; *quos Titius uoluerit*; ideo uitiosam esse affirmans, *quòd alieno permissa est arbitrio*.

845 Verum est: at Pomponius respondit, *si quis Sempronium heredem instituerit sub hac condicione, si Titius in Capitolium ascenderit, utilem esse institutionem*; quamuis hoc ipsum

ſit in alterius uoluntate poſitum.
846 Hae (ut cum aliquot doctis uiris ingenuè fatear) Iuris ciui lis ſubtilitates plus habent artis,& oſtentationis, quàm aequi tatis,& ſolidae doctrinae.
847 Haec ergo inſtitutio, *ſi uolet Titius*, uitioſa eſt iuriſconſultis; illa uerò, *Si Capitolium aſcenderit*, utilis; tametſi in utraque do minetur Titii uolũtas,&in eo ſitũ ſit, Sẽpronius ſit heres, an nõ
848 Vtriuſque tamen rationem dabimus, quoad illorum doctri na ſuſtineri poſſit.
849 Aquam profluentem nihil aliud eſſe, quàm aquam fluminis nemo ambigat.
850 Nec refert ſi ex priuatis fontibus fluat, an ex publicis flu minibus.
851 Pupillarem tantùm propriè ſubſtitutionem eſſe tenemus, aliàs uerò abuſiuè.
852 Subſtitutionum genera duo eſſe tenemus.
853 Quid ſi tria!
854 Agnatorum hereditatem non in ſtirpem, ut ceteri, ſed in ca pita diuidendam tenemus.
855 Rectè itaque Nos ad legem 1. Si pars her. pet., adnotaui mus interpretum errorem. & ob iuriſconſultorum auctorita tem,& alias rationes, in cauſſis forenſibus, obtinuimus in facti ſpecie.
856 *Omnes ſtipulationes*; reſcripſit Leo imperator; [a] *etiam ſi non ſolemnibus, uel directis, ſed quibuſcumque uerbis, con ſenſu contrahentium conſtitutae ſunt, uel legibus cõpoſitae, ſuã habeant firmitatem.*

a C. de cõ trah. ſtip.

857 Quod cùm Iuſtinianus confirmarit, nulli dubium eſſe pu to, a ueterum iuriſconſultorum inſtituto ualde alienum eſſe.
858 Olim enim certa ſtipulationum uerba formulaéq. uſurpa bantur, ut Pomponius declarauit.
859 Quod cùm ita ſit, in eam opinionem facilè deducor, ut nullum ferè aliud ſit contractus genus, quàm ſtipulationis,

ſeu nullam eſſe differentiam inter pacta conuenta, & ſtipulationem.
860 Pretium alia in re, quàm in pecunia numerata, conſtitui poſſe, cum Sabinianis tenemus. ídq. comprobatum iri tenebimus ex aliquot Imperatorum reſcriptis.
861 In quo itaque differt permutatio ab emptione? In aliquo; in ſiimli fortè, uel diſſimili animo.
862 Itaque ſi poſt pretium iam conſtitutum res aliqua uel pro pretio toto, uel pro eius parte ſoluatur, emptionem contrahi tuemur,
863 Contrà uerò ſi poſt permutationem conſtitutam, pecunia uel in totum, uel ex parte in locum rei ſuccedat, permutatio uidetur iccirco. a l. 52. §. 13. illo.
864 *Furtum ſine contrectatione non fit*, ait Vlpianus.[a]
865 In re igitur incorporali furtum fieri non poſſe tenemus.
866 At ſi rei incorporalis furtum fieri admittimus, nobis non contradicimus.
867 Actionis definitionem non omnes actiones complecti tenemus.
868 Remouentur enim tum publicae, tum populares.
869 Omnem obligationem, uel quae metu, aut dolo, aut errore contracta ſit, iuſtam eſſe actionis cauſſam, tenemus.
870 Quid ſi eandem iniquam eſſe teneamus!
871 Iusdicens, & Iudex; item Iuſdicere ac Iudicare, ut idem ſint, non admittimus.
872 At fuit iamdiu, ut idem ſignificarent. Admitto.
873 Eſt etiam, ut hodie idem ſignificent. Dubium uerò id eſt!
874 Ergo Iuſdicentem, & Iudicem idem eſſe dices. Pulcrè ueró!
875 Dicam tamen, nec mihi repugnabo. Phy!
876 L. munerum §. Iudicandi uerum ſenſum declaratum iri.
877 Iuriſdictionem non perſonae ineſſe dicemus.
878 Ineſt itaque territorio? Ineſto.

At

879 At cur ſine territorio iuriſdictio eſſe poteſt? Nec tamen nego quin & magiſtratui inſit.

880 Vtrique igitur ineſt, & ſimul.

881 Quod quiſque iuris in alium ſtatuerit, non de lege municipali intelligimus; ut ceteri; ſed ſtatuere nouum ius, uel conſtituere in aliquem, tunc magiſtratum, intelligimus, cùm contra leges, uel qua in re deſiderantur, aduersùs mores aliquid decernit, & ius dicit.

882 At hoc, Statutum, ideſt Lex municipalis, dici non poteſt.

883 Ex edicto, QVOD QVISQVE IVRIS, neminem cogitationis poenam pati tenemus.

884 Rectè itaque l. cogitationis poenam, De poenis, ad hoc edictum, QVOD QVISQVE IVRIS, pertinere tenemus, cùm ex eodem libro Vlpiani ſit.

885 Rectè etiam Nos in ſcholiis ad Pan. adnotauimus, ex eiuſmodi edicto neminem cogitationis poenam pati, in aliis uerò; & ſi non tantùm effectus, ſed etiam uoluntas puniatur; nihil uetare.

886 *Is uidetur, iusdicenti non obtemperaſſe, qui quod extremum eſt in iuriſdictione, non fecit*: ſi extremum, ideſt Vltimum, accipiamus; ut antiqui interpretes acceperunt; non errabimus.

887 Nec illud iudicium ad intereſſe litigantium reſpicere uidetur. *non enim ad id*; ait Vlpianus; *quod intereſt, ſed quanti ea res eſt.*

888 Rei itaque perſecutoria non eſt, ſed merè poenalis.

889 Vnam eſſe certi condictionem, tenemus, generalem tamen, quae ſub ſe multas habeat ſpecies, & ſpeciales actiones.

890 Tametſi in mutui contractu, conſenſus contrahentium requiratur; tamen ideo re contrahi dici putamus in mutuo, quòd praecipua huius, & ſimilium contractuum, cauſa efficiens

ciens Res eſt, ſine cuius praeſtatione omnino perfici nequeunt.

891 Appellatam, ait Paullus, mutui dationem ab eo, quòd de meo tuum fiat. Quid uerò, ſi de tuo meum fiat! Verùm ita ludere iuriſconſultis placuit in quorundam uerborum notatione, ut in Teſtamentum, Sacellum. Iuriſconſulti enim noſtri (ut rectè eruditi etiam uiri teſtantur) imbuti ſunt a Stoicis, qui licentiores in ducendis nominum originibus notare ſaepe ſolent.

892 Mutuum reciprocum eſt, & ad illum pertinet, & in eius perſona propriè eſt, qui aliquid reddit.

893 Itaque debitor propriè mutuum reddere dicitur.

894 Sed in hoc contractu quia mutuationi initium facit creditor, is quoque mutuo dare dicitur.

895 Quem contractum iuris gentium eſſe tenemus, atque in arithmetica proportione uerſari, ac aequalitatem ſcilicet eorum, quae data ſunt, exigere; unde ſtricti iuris.

896 Obligationem primùm rei corporalis Circumligationem dictam eſſe: unde iuriſconſulti ab eiuſmodi rebus, quae ſunt, ad eas, quae intelliguntur, transferentes, Obligatum hominem dixerunt, qui ob maleficium, uel contractum quaſi ligatus aliis paret, & ad faciendum patiendúmue quidpiam, tamquam diſtrictus aliquo iure, adigi poteſt.

897 Sed & hanc ſignificationem duplicem eſſe tenemus, naturalem, & ciuilem.

898 Illa quidem ſiue beneficio accepto, ſiue pacto etiam nudo, & uoluntate obſtrictus quis ſit, obligationem demonſtrat; quam & apud omnes gentes, priùſquàm ciuilia iura prodita eſſent (ſi modò Latinè locutae ſint) demonſtrauit: ut uerba eiuſdem ſenſus apud aliarum linguarum peritos.

899 Haec uerò, poſtquam ciuile ius conditum eſt, eam modò obligationem ſignificare coepit, qua, neceſſitate lege impoſita, cogimur quid praeſtare alteri.

900 Obligatio autem, auctore Iuſtiniano, *eſt iuris uinculum*.

quo

quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendae secundùm nostrae ciuitatis iura.
901 Vinculum autem magis quàm uinctionem, obligationem esse, uoluit; ut non actum obligandi, & contractum, sed equum quiddam perpetuò durans intelligamus, dum ab eo nexu absoluamur certis modis.
902 Sed ubinam exsistit hoc aequum, quod in Iure lex tam frequenter consistere ait? in nobis ne, an in rebus ipsis? In nobis, si obstringimur.
903 Contrà uerò eiusmodi ius in corpore esse, atque in re, qua sublata & ipsum euanescit, Lex alibi ait.
904 *Legatum*, ait Florentinus, *est delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod uniuersum heredis foret, alicui quid collatum uelit.*
905 Modestinus uerò, esse *donationem testamentò relictam.*
906 Sed hae definitiones non satis distinguere uidentur legata à fideicommissis.
907 Rectè itaque forsan Vlpianus, qui in Institution., *legatum quod legis modo, id est, imperatiuè,* & directis uerbis *testamento, relinquitur* putauit.
908 Vnde caussa efficiens legati, benigna uoluntas testatoris esse uidetur.
909 Legatum uerò si Iuris ciuilis, & philosophiae subtilitatem consideremus, non esse uerè donationem, tenemus.
910 Quis enim ignorat, donationem, liberalitatis esse speciem! at illa circa pecuniam, & proximiùs circa dationem, & receptionem uersatur.
911 At in legato potest esse paenitentia.
912 Donatio uerò ab eruditis definitur, Esse largitio, quae reddi non debet.
913 Ideóq. si donatio quaedam definitur a Iustiniano, non improbandum.
914 Cùm autem praetorem dupliciter sui copiam fecisse traditum

tum fit,pro tribunali,ſcilicet, eburnea curuli ſella ſedens; & extra tribunal,ac de plano : inde bonorum poſſeſſionem duplicem fuiſſe animaduertimus, Decretalem ſcilicet, & Edictalem.

915 Decretales itaque,cauſſae cognitionem requirebant,qualis Carboniana,uentris in poſſeſſionem miſſio,eius,qui captiui,furioſiue nomine mittendus,&c.aliae uerò edictales.

916 Efficiens itaque bonorum poſſeſſionis eſt praetor, qui eam defert: at non ſola, quia & uoluntas eius cui defertur.

917 Vt materiam omnes res,dicimus,ac omnia commoda, & in commoda hereditaria.

918 At quorſum?Vt is,qui Iure ciuili contra aequitatem naturalem,hereditate excludebatur, benignitate iuris praetorii, ſucceſſionem ſibi debitam adquirat.

919 Qui Dominium definierunt,eſſe Ius, de re corporea liberè diſponendi,ut ab effectu haec definitio petatur,non reprehendendi.

920 Rerum itaque incorporalium non erit dominium?Nec poſſeſſio.

921 Poſſeſſio autem,ex Theophilo,eſt Rei corporalis detentio. additur tamen a doctis,ex Theophili locis, Cui affectus tenendi,& opinio dominii,uel proprio nomine,uel alieno,ineſt.

L MA-

I.

922 MARINA Venetiarum urbs ideo minimè alicuius imperio parere uisa est nō nullis, quod exstet ea de re priuilegiū, cuius ope, quasi uindicta, in libertatē adserta uideatur. Aliter aliis. qui putant, si priuilegiū a se Veneti amiserint, nihilominus liberam urbem remanere; propterea quòd altero naturae priuilegio, MARINAE scilicet aquae, (quòd in mari est sita) longè antiquiora libertatis iura tueatur.

923 MARINA igitur aqua caput ē, ut liberi Veneti, nulliúsq. iurisdictioni, dictóue sint umquā audiētes futuri; aín' tu? Nēpé.

924 Quin ex inueterata cōsuetudine, uectigalia imponentes Veneti, portoriáq. sine auctoritate principis, non iniustè fecisse incusandi erunt.

II.

925 IVSTINIANA uerò constitutio, quae feminas masculis aequauit, non omnino ratione caruisse uideri potest.

926 Vnde, cùm natura muliebrem sexum, aequè ác uirilem, humano generi conseruando necessarium ostendat, utrumque pari in hereditatibus adeundis iure esse uoluit.

III.

927 PAVLLIANA autem actio rectè creditoribus, quorum in fraudem res alienatae sunt, conceditur; qua coërceatur is, qui sciens debitorem in fraudem creditoris hoc facere, suscipit quod in fraudem eorum fiebat.

928 Et cùm hac actione res traditae, perinde quasi traditae numquam fuissent, postulantur; hanc contra Ius ciuile dari putamus: quippe cùm id rescindatur, quòd Iure ciuili ratum erat.

IV.

929 CORNELIA uerò lege meritò damnatur, *qui testamentū amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit.*

930 *Quiue nummos aureos, argenteos, adulterauerit, lauerit, conflauerit, raserit, corruperit, uitiauerit, uultúue principum signatam monetam, praeter adulterinam, reprobauerit.*

ANTONII PERSII
IN IVRE CANONICO
CONTRA CANONICOS,
ET PRAGMATICOS.

ANTONIVM DE BVTRIO
ARISTOTELEM
FRANCISCVM DVARENVM
FRANCISCVM CONNANVM
GRATIANVM
HOSTIENSEM
INTERPRETEM
SCOTVM, ETC.

931 QVòd Hostiensis, atque alii materiam Iuris pontificii modò Praecepta patrum, seu Decretales epistolas, modò Fidem catholicam dicunt esse: falsó.

932 Omnia, iure naturae, communia esse, Gratianus scribit: falsó.

933 Dominium itaque, & rerum diuisio de iure naturae.

934 Ferarum uenationem quidam pro turpi & illicito exercitio habent, ex Augustino [a] comprobare nitentes: falsó.

935 Quod igitur Hostiensis, Anto. de Butrio, & alii contẽdunt, principem illud ius auferre posse, & prohibere: falsum.

936 Multi dubitant, an principum prohibitiones, praesertim poenales, contra uenantes ualeant. & qui principum auribus in susurrare adsolent, atque blandiri, etiam tales poenas ad mortem extendi posse contendunt: falsó.

937 At iniuriarum tenetur, qui contra prohibitionem ingressus est? Tamen iniuriae poena tanta esse non debet, praesertim cùm tunc in principem ut principem, & ad uiolandam eius personam, maiestatémq. non delinquatur.

638 Quid! ac si uenationes ad regalia pertineant, quidquid in

a c. qui uenatoribus d. 86.
b c. nõ est De deci.

regno Neapolitano usurpetur.

939 Graduum mentionem facientes canonici, deinde Arborē, & folia ei appingentes: falsò, & ridiculè: ac si gradus essent arborum, & non scalarum proprii.

940 *Ascendentium*; ait uulgaris regula cognationis; *& descendētium quot sunt personae, de quibus quaeritur; computatis inter medijs, una dempta; tot sunt gradus inter eos*; falsó.

941 Non enim inferior linea ascendit, neque superior contrà descendit; quippe cùm in linea superiori sint ascendentes, in inferiori descendentes; idest, Titium tantùm ad parentes ascendere, descendere autem ad liberos.

942 Ridicula igitur est larua illa, quam modò Petrucium, modò Loriotum appellant, uel Ioachimum; ut Hostiensis.

943 *Quot sunt personae, tot sunt gradus*, aiunt: falsò, ac perperā intellexerunt regulam sacratissimi Consulti.[a]

a §.6. inst. de gra.

944 Quam? quae dicit, *Semper generata persona gradum adijcit*. non enim *persona* dicitur, sed *generata*.

945 Duae igitur personae requiruntur ad gradum faciendum.

946 Putāt doctores, cognatos, qui a latere sunt sinistro, cognatos illis dici, qui a latere dextro sunt, & utrosque inter se referendos: falsó.

947 Ad solum enim Titium referendi sunt.

948 Quòd gradibus collateralibus etiam in ascensu utantur doctores, falsò, & praeposteré.

949 Nesciunt, descensus tantùm caussa descriptos esse omnes collaterales.

950 Quod ēt dicitur, ī Iure ciuili ob nihil aliud graduū mētionē factam esse, nisi ob hereditates; in Canonib. uerò, ut apertè mōstretur, usque ad quotā generat., cōsanguineorū nuptiis sit abstinendū; cōtrariū certè inueniet, qui Ius ciuile perleget.

951 Ac si successio, & sumptio posset esse sine eo, qui eam reliquit, & ad quam illa rediret.

952 Vnde falsius illud, iuriscōsultos in singulis personis singulos perfecisse gradus, Canones uerò, quia nuptiae nō possunt esse

sine

ſine duab. perſonis, ideo duas numerare perſonas. quem in errorem incidiſſe uidetur etiam Franciſcus Duarenus, F. Connanus, & alii doctiſſimi uiri.

953 Quod praecipitur, cùm de duarũ perſonarũ matrimonio quaeritur, omnibus praetermiſſis intermediis perſonis, continuò ad originẽ, ſiue ad ſtipitẽ cognationis eſſe deuolandũ: & ab ea diſtractũ circinũ bipartitò, ad utrũque fratrẽ, & ſororẽ ſenſim producendum, aut ab ipſis, relicto ſtipite, unum gradũ numerando: ſecũdò ad duos filios, tertiò ad nepotes, & ad eos uſque, quorum de nuptiis quaeritur; ridiculè, & ſuperfluè.

954 Nam amputandi eſſent omnes maiores, ac poſteri, qui in arbore deſcribuntur, cùm inter hos prohibitae omnino, & nullius ſint uſus, nuptiae.

955 Deinde nónne uides, quòd non niſi patris nomen eſt neceſſarium, unde origo generationis eis conſtituitur!

956 Neque ergo in eorum Arbore habebunt locum patruus, auunculus, magni, maiores, maximi.

957 Cur hoc? Quia hi ſine auo, proauo, atque abauo, quorum hi liberi ſunt, non poſſunt habere locum.

958 Deinde? Quia canonici non niſi a patre ſumunt cognationis exordium.

959 Ac ſi inferiores tantùm generationes in cognatione deſcribenda, & non ſuperiores, praecipuè uerò communio ſanguinis, deſcribendae eſſent.

960 Sed quid, ſi praeter profanos auctores, Deum ẽt ipſum iuriſconſultorum more, gradus numeraſſe probabimus!

961 *Quoto gradu*; aiunt; [a]*remotior diſtat a ſtipite, eodem gradu inter ſe*: falsó. a c. ult: de conſa.

962 *Si uis ſcire*; inquit Interpres; *in quo gradu aliquae duae perſonae diuerſarum linearum ſibi adtineant, recurre ad communem ſtipitem ſibi parentem, a quo deſcenderunt; & deſcende, aequaliter computando per ambas lineas, quouſque altera illarum primo occurrat:* falsó.

Non

963 Non uides quàm incerta,atque obſcura ratio computandi ineatur! uix enim fiet,quin pro auo, aut proauo, abauum plerumque,aut tritauum accerſamus.

964 Contrà uerò,ſi gradatim per ſingulos gradus ad eum, qui nobis communis ſanguinis proxima cauſſa fuit, aſcendamus, nullo fermè errore rem omnem aſſequi poterimus.

965 Vidiſtin' umquam,fratrem referri poſſe ad patrem!

966 Sed quomodo fratres erunt in primo,ſi inter eos non ſit unica generatio!nec iidem ad patrem referri poſſunt.

967 Quinimmo c.ad ſedem, duas requirit perſonas in gradu faciundo.quid ſi unam ſufficere commoſtrem,in altera linea,ex alio capite!

968 Falſiſſimè itaque,ſolum canonici deſcenſum imperant,aſcẽſum uerò prohibent: cùm communis ſtipes inueniri, niſi aſcendendo,non poſſit.

969 Abneptem fratris, uel ſororis, canonici[a] permittunt uxorem ducere.

a gloſſ.ex d.c.ult.

970 At iuriſconſulti non admittunt, cùm liberorum loco ſint: utri melius?

971 Nec fortè,quae de inueniendo numero a filiis duorum fratrum,Gratiã.[b] commemorat,ex Iſiodoro, uera eſſe affirmabimus: quin,cùm in Iſiodori libris ea exſtare non legerim, ſuſpecta eſſe exiſtimabimus.

b 35.q.5. c.1.

972 Vſuram definiunt doctores,Quod ſupra ſortem redditur: falſó.

973 Quid,ſi quis ex ſocietatis commodo, ſupra ſortẽ percipit, uel ex poena!

974 Alii uerò,Vſuram eſſe lucrum ſupra ſortem exactum tantùm propter officium mutuationis: falsó.

975 Ac ſi ad unam mutuationis cauſſam reſtringi debeat Vſura, & ad fenus tantúm.

976 Falsò itaque Romanas leges ob eam cauſſam damnandas eſſe cenſent quidam,quòd uſuras permiſerint.

Quin

977 Quin rectè Iustin.[a] concilii Nicaeni canones, qui eiusmodi usuras reprobauit, approbasse uideri. a epist. inter claras. C. de sum. tr. & Nou. 131.

978 Quid ita? Quia cur non improbant eas leges etiam, quas nemo improbat!

979 Nónne emptori permittitur actio in id, quod illius interfuit, moram esse a uenditore commissam in re uendita tradenda!

980 Idem itaque uenditori aduersùs emptorem concedendum.

981 Quid tum? Quia Vsura nihil aliud est, quàm compensatio eius, quod creditoris interest, alium uti eius pecunia.

982 Ex re sterili igitur capies fructum contra naturam? Tantum abest. Fortè uerò Aristotelis negotiationis huius uituperatio sine ulla distinctione suscepta alios impulit ad eam damnandam, & a rep. penitus relegandam; falsò tamen, & imprudenter nimiùm; cùm saepe utile, ac necesse sit etiam, alterum alterius pecunia uti, siue ad rem propriam tuēdam, augendámue, siue quaestum honestum exercendum. qua in re cùm eo inuito debitor usus sit pecunia, ideóq. eius intersit, usu carere suae pecuniae; iustitiae consonum ualde uisum est legumlatoribus nostris, compensationem aliquam eius damni petere.

983 An qui tantùm de damno uitando certat, eius damni aliquam compensationem petere potest! Quod theologi nostri longè indulgentiùs permiserunt, ut subtilissimus Scotus,[b] & alii. b 4. sent. d. 15. q. 2.

984 Si a mercatore ad nundinas proficiscente, quis pecuniam, quam eò deferebat, mutuam accepit, permittens ei certa die soluere, unà cum tanto lucro, quantum uerisimile esset creditorem, si usus esset suis nummis, in iis nundinis facturum; Hostiensis[c], & alii eum secuti, aequam, & probandam conuentionem, responderunt: falsó. c c. salubriter de usu.

985 Ridiculum fermè est, ut aequiores nostri sint iurisconsulti, quàm hi, qui iurisconsultos carpunt, & reprehendunt iniquitatis nomine.

Non

986 Non uidetis, iniquum esse,[a] nudam pecuniam tantùm adferre emolumenti, quantum industriam cum pecunia coniunctam!

a l. Iulianus 13. de act. empt.

987 Non enim quidquid consequi creditor potest, Vsuram comprehendere, sed tantùm partem.

988 Quòd autem aliqui putant, litis contestationem, affirmando fieri posse: falsó.

989 Nam Imperator per contradictionem uult eam constitui, nisi affirmata responsio contradicat actioni propositae, uel pro ea habeatur.

990 Quod autem hodie usurpatur, ut dilationes saepe quinquénnio, uel sexennio durent, litísq. ueram contestationem morentur; falsò, & contra formam Iuris.

991 Vterque enim tam actor, quàm reus de iure suo certus esse debet, antè, quàm ad agendum procedat; nec in conflictu dilationem petere debet. iura sanè in republica constituta sunt, ut ortas lites secundùm ea decidamus, non ut prorogemus.

992 Pro litis contestatione, utuntur pragmatici hac formula, ANIMO LITEM CONTESTANDI, NEGO NARRATA PROVT NARRANTVR: falsó.

993 Nónne iudex post huiusmodi litis contestationem, aequè incertus est in quo lis contestatur, àc fuit anté!

994 Vt hodie fit per articulatos libellos, & ad singulos articulos responsiones, quibus utuntur, fieri litis contestationem, tenent: falsó.

995 *Non enim per positiones, & responsiones*; ait Pontifex; *ad eos, sed per petitionem in Iure propositam, & responsionem secutam litis contestatio fit.*

996 Non ergo uera in iudiciis hodie litis contestatio est, àc reperitur.

ANTONII

ANTONII PERSII POSITIONES PRO IVRE CANONICO.

997 CVM duplex ius sit, alterũ naturale, positiuum al terum, hoc ut in triplex scindatur, nihil prohibet, in Ciuile scilicet, Canonicum, & Diuinum.

998 Iccirco iurisperito, seu canonistae praeferendus est theologus omnimodo (parcent mihi Hostiẽsis, [a] & Panormitanus) siue haereses pullulauerint, siue non. a c.1.de af fi. & consang.

999 Subiectum Iuris canonici aliquibus posset uideri Actiones canonicae, ut in Iure ciuili legitimae.

1000 At meliùs fortasse, si Homo, qua canonicè agat; idest, iuxta decreta pontificum, ac sanctorum patrum, ponatur.

1001 Scripturam non esse de essentia Legis; quod & Abbas, & Decius, & alii scripserunt: rectè.

1002 Licèt uenationem, piscationem, & aucupium de iure naturali tenere possumus, [b] tamen piscatio ab his separari solet, tamquam ius magis licitum: eóq. piscatio ecclesiasticis personis permissa est, uenatio [c] non item. b l.1.3. de adq.do. c c.1.2. d. 34 c. 1. 2. de cle. ué. c.1.ne cle.

1003 Nam, quò cruentius est ius uenationis, eò uidetur magis ab humanitate esse alienum, minúsq. ecclesiasticis conuenire personis. [d] d Esau.d. 86.

1004 Licèt itaque uenatio ab aliquibus improbetur, tamen uerior est Panormitani, [e] & aliorum sententia, ut abusus, nõ usus sit in turpibus habendus. e d.c.1.

1005 Iure itaque diuino, seu naturae, & gentium, uenationis usum nobis esse concessum, tenemus, etiam & ciuili.

1006 Gradum nihil esse aliud, quàm generationem, tenemus.

M Co-

1007 Cognationem uerò ius quoddam inter certas personas institutum, quae natura, uel legis fictione inter se cognatae sunt.

1008 In graduum igitur enumeratione hanc regulam in uniuersum obseruare quis debet, *Quoties[a] quaeritur, quòto gradu quaeque persona sit, ab eo est incipiendum, de cuius cognatione quaeritur; & si ex inferioribus, uel superioribus gradibus est, recta linea sursum uersùm, uel deorsùm tendendo, facilè inueniemus gradus, si per singulos gradus proximum quemque numeremus.*

a l. 10. de grad.

1009 Totidem ergo gradibus remotus aliquis a Titio dicatur, quot ab ipsis generationibus distat.

1010 Cognatio autem cùm non ex generatione, sed etiam ex communione sanguinis per generationem contrahatur, quando idem, & quasi commune nascendi initium diuersis personis contingat, ipsa ob hanc caussam non in descendendo tantùm, sed etiam in ascendendo etiam, considerari debet.

b l. 10. de grad. l. 4. eo.

1011 Rectè itaque Paullus[b], *cognationem a Graeca uoce* συγγενής *deriuari, cognatósq. dici, quòd quasi unà communitér ue nati, uel ab eodem orti progenitiue sint.*

1012 Rectè igitur is, cuius de cognatione quaeritur, ut a iurisconsultis dicitur (quem Titium, uel aliũ quemque uocemus) in medio ponatur; qui ueluti uniuersa cognationis caussa nobis appareat, supra quem, originem ac generationem generantem cernamus; infra uerò eiusdem progeniem, & generationẽ ab eo generatam; dextra uerò, & sinistra neutrum quoddam generationis genus, earum scilicet personarum, quae neque Titium generarunt, nec a Titio generantur.

1013 Omnes igitur lineae collaterales, descensus tantùm caussa sunt descriptae, cùm omnes personae in his comprehensae, originem ab his duxerunt, quas linea directa sursum uergens complectitur.

1014 Communem uerò stipitem; a quo nos distantiam, & interualla

ualla metiri, Pontifices iubent, reperiri, nisi ascendendo, non posse, quidquid Interpres[a] dixerit. a c.ult.de consa.

1015 Tametsi Vsura pro Vsu ab auctoribus, rectè usurpetur, attamen nos pro usurae mercede; quomodo iurisconsultos usurpasse liquet in tractatu De usuris; dici tenemus.

1016 Eius uerò duas species posse reperiri profitemur, alteram, quae distinctum a suo genere nomen habeat; quae uocatur Fenus; alteram uerò, quae in generis sui appellatione consistat.

1017 Et Fenus[b] quidem ab eo dictum, quòd quasi fetura quaedam pecuniae sit. b Fest. & Gell.

1018 Vnde propriè etiã quiuis intelligere potest, lucrũ illud, quod quis captat ex nuda pecunia, ut mensarii, Fenus dici.

1019 Sed Vsura, cùm ab Vsu appellata sit, aliam uim, atque significationem ab hac notatione retinuit.

1020 Alter itaque de lucro captando, alter uerò de damno uitando contendit.

1021 Rectè itaque Paullus,[c] *Vsurae non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur.* c l. cũ quidam 17. §. 1. hoc tit.

1022 At non incongruum erit, ut pro fenore Vsura sumatur? Si nomen generis obtinet.

1023 Vsura uerò speciatim sumpta, rectè ita ab eruditis definita esto, ut sit Merces usus consumptae sortis cum damno creditoris.

1024 Ceterùm usuram ad earum tantùm usum rerum pertinere censemus, quae usu ipso pereunt, atque consumuntur.

1025 Rectè itaque Iustinianus,[d] *eum, qui praematurè, & ante diem petit, plus petere uideri, uelut qui tardiùs soluit, quàm soluere deberet, minùs soluere intelligi.* d §. plus inst. de ac.

1026 Ceterùm illud tenendum est, usurarum, non propter moram, sed tantùm propter id, quod interest, rationem haberi.

1027 Ergo & sine ullo morae respectu eas deberi, quoties creditoris intererit, usu carere suae pecuniae.

1028 Aestimandam igitur illam differentiam, decernimus, in-

ter eos, qui animo fenerandi, occasionem mutui dandi quaerunt; & eos, qui quodammodo inuiti, & repugnantes, amici precibus, aut beneuolentia in eum ad credendum inducuntur.

1029 Nec, si usuram nihil aliud esse diximus, quàm id, quod uerè, & non simulatè interest, ideo nihil alterum ab altero differre putandum est.

1030 In quo ergo differt? Quia illud nullis finibus circũscriptũ est, cùm usura ad certum modum redacta, & restricta sit.

1031 Non ergo quidquid creditor consequi potuisset, usuram comprehendere, sed tantùm partem. quod uerum putem esse, & cum aequitate, rationéq. cõueniens. qua quidem in re quid ueri alii senserint, aliàs dicetur.

1032 Rectè itaque a Iustiniano modus constitutus est, & praescriptus eius scilicet, quod interest.

1033 At uerò quod quaesitum est a quàm plurimis, utrum scilicet fenoris negotiatio in republica toleranda sit; nulli dubiũ esse puto, & naturae, & ciuili, ne dicam diuino iure, esse ipsam prohibitam: neque me pugnantia protulisse.

a 5. de leg. 1034 Rectè itaque Plato[a], rectè itidem Aristoteles, ille hos in republica adeò damnandos esse censet, ut ei, cui fenerata pecunia est, permittat & sortẽ, & usurã retinere; hic uerò eam contra naturam existimat, quòd fructus ex re sterili exigatur.

b l. 2. de usufr. 1035 Rectè etiam iurisconsulti,[b] qui pecuniam, & alias res, quae in abusu consistunt, neque naturali, neque ciuili ratione usum fructum recipere: ac proprietatem earum ab usufructu nullo modo separari posse, responderunt.

c Luc. 6. 1036 Verba illa, *mutuum dantes, nihil inde sperantes*, alio sensũ quàm uulgò accipiuntur, declaratum iri.

d Deu. 20. 1037 Cur itidem Iudaeis permissum fenus a Deo sit, probabilior ratio, quàm quae uulgò datur, afferetur.

e Chryso. super Matth. 1038 Rectissimè & nostri ecclesiae patres, & cõcilia (quib. fenus dãnatur, ut cùm ueneno, & morsui Aspidis cõparatur; quòd per omnia mẽbra discurrit; aut modico fermẽto, quod ut totã con

spersionem

ſperſionem corrumpit:ſic fenus totam ſubſtantiã,& facultatẽ hominis abſumit,& perrodit)illud reprobarunt.

1039 Rectè itaque Bartolus uſuras iure ẽt ciuili peti non poſſe ut uſuras,ſed ut intereſſe,& meliùs Baldo,Qui Imperatorẽ [a] ſcripſit loqui in l.cunctos populos,de fide catholica,reſpectu trinitatis,non aliorũ capitũ, quae requirũtur ad ſalutem animae. a C.de sũma tria.

1040 Cùm uerò omnis actio,omnis itẽ exceptio ex iure ſimul,& facto conſtet,nec quaeſtio oriri,neque litis conteſtatio perfici poteſt,niſi uel ius,uel factum,uel utrum que negetur.

1041 At uerò omnis cauſſa,ex qua uel agitur,uel excipitur, nihil eſt aliud,quàm argumentatio.

1042 Ideóq.de his certius iudicari non poteſt quàm , ſi in formã ſyllogiſmi,uel enthymematis redigatur.

1043 Quamuis uerò Speculator,libelli partes aliter diſponat, nos uerò, ſi ſyllogiſmum practicum,& iudicialem cũ Bartolo cum nominabimus , non alucinabimur.

1044 Nec ſpecies duas libelli reiicimus , conuentionalẽ ſcilicet illam,ſeu ciuilem,& criminalem.

1045 Libelli uerò propria eſſe haec,tenemus,ut ſit rotundus,dilucidus,concludens,non obſcurus,non incertus, neque generalis,aut alternatiuus.

1046 Libelli uerò cauſſam efficientem,legem,ponimus.

1047 Ac in omnib.cauſſis libellum offerendũ ponimus,de quib. iudicium conſtituitur,& inter plures lis eſt.

1048 Tametſi in cauſſis ſummariis requiri nõ ſemper tenemus.

1049 Huius uerò finem eſſe dicimus, agentis deſiderium proponere,iudicem, ac aduerſariũ de ſpecie futurae litis inſtruere.

1050 Vnde cũ iudicii partes praecipuè ſint,litis cõteſtatio,& ſentẽtia,uariis tamẽ modis apud antiquos facta eſſe uidetur ; ſpõſione ſcilicet uel ſacramẽto,uel nuda teſtatione coram teſtib.

1051 Litis uerò cõteſtationẽ rectè Imperator docuiſſe uidetur; *Lis*;ait;*tum conteſtata uidetur,cùm iudex per narrationem negotij,cauſſam audire coeperit.*

1052 Hui!quãdo lis uidetur cõteſtari?factis actis? Tũc profectò,

cúm

cùm acta referuntur iudici in eam dicturo sententiam.
1053 At Imperator alibi, *cùm lis fuerit contestata per narrationem propositam, & contradictionem obiectam,* &c. Esto.
1054 Ergo, Litis contestatio est, principalis negotii apud competentem iudicem facta narratio, & ad eam secuta responsio; ut uulgò circumfertur; definitio uera? Maximè.
1055 At hoc ante acta facta expeditur: falsum ergo quod priùs dictum est.
1056 Ceterùm tripliciter ad id, quod propositum est, ab aduersario responderi posse tenemus, distinguendo, uel actionē differendo, uel denique negando.
1057 Verùm nec distinguendo, aut litem transferendo, litem cōtestari dicimur, sed tantùm negando.
1058 Rectè itaque: & ueluti idem rhetores uocant Intentionē, & Depulsionem, seu Caussarum conflictionem, ex qua status causae oritur, nos Litis contestationem uocamus.
1059 Idem igitur est litis contestatio, & status; qui rectè ab rhetoricis definitur, ut sit Quaestio, quae ex prima caussarum conflictione oriatur.
1060 Litis contestationem tam aduocatis in disputando, quàm iudicibus in iudicando necessariam esse tenemus; quae cùm hodie uix, ac ne uix in iudiciis reperiatur, immortales, ac infinitas lites in ciuitatibus, & populis uersari uidemus.
1061 In extraordinariis uerò cognitionibus, & caussis, quae magis officio iudicis, quàm iure actionis expediuntur, litis contestationem necessariam non esse tenemus.
1062 Ex triplici ergo iudicandi ratione, (quam eruditi animaduerterunt) prima scilicet quando iudex actionum exceptionū requisita, & singulorum requisitorum probationes respicit; & secunda, cùm ipsius facti species, eiúsq. circumstantias considerat; tertiam probabiliorem putamus, scilicet si cùm statū caussae, & summam controuersiae iudex considerat.
1063 Iudex itaque non debet uagari nunc huc, nunc illuc, non ad infinitas probationes; nec tamen ad circumstantias caussarum,

rum, ſed in cauſſae ſtatum oculos figat.

1064 Tria denique in omni actione inquirat, primùm quid petitum ſit, ex qua cauſſa, & quo iure: quae omnia, ut certiùs per agat, in formam ſyllogiſmi coniicere debet.

1065 Vt iudicium iuxta Dei mandatum fiat, reddatúrq. eius populo incorrupto; Cui ſempiterna laus obtingat: nósq. cuncta bona noſtra laturi accepta ſimus, tum uerò noſtrorum Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

1066 Quae contra canonicos, uel quoſcumque dicta eſſe reperiũtur, ita intelligenda proponimus, ut nullo umquam pacto ſanctiſſimi, ac beatiſſimi noſtri Pontificis, atque catholicae, & Rom. eccleſiae auctoritatem conuellere uideantur; ſed iuxta c. Haec eſt fides 24. q. 1. haec, & quaecumque a nobis edẽda ſunt, intelligenda eſſe profitemur.

ANTONII

ANTONII PERSII

IN PHYSICIS

CONTRA PHYSICOS.

ALEXANDRVM APRHODISIENSEM
ARISTOTELEM
AVERROEM
AVICENNAM
GALENVM
HIPPOCRATEM
OCELLVM LVCANVM
PLATONEM
TIMAEVM, ETC.
PRAECIPVE' AVTEM CONTRA VNVM ARISTOTELEM

1067 NE solus Arist., ipsiúsq. sectatores sibi solis sapere uideantur; quantum a uera philosophi, naturaéq. secreta indagare uolentis persona abfuerint, ex his, quae de mundo ipso, & singulis eius partibus, ac structura, naturaéq. principiis scripta sunt ab eis, animaduertere licebit.

1068 Vniuersum hoc Arist. ueluti suo arbitratu effingens, ex quattuor asserit esse compactum elementis, igne, aëre, aqua, & terra: falsó.

1069 Quibus addit & quinctum corpus ab his diuersae, alienaéq. naturae: falsó.

1070 Ac falsum ideo asserere tenemus, quòd nec aër, nec mare magnae mundi partes uideri possunt.

1071 Peripatetici tenent, nec materiam, nec formam generari, sed tantùm compositum: falsó.

1072 Arist. quae generantur, ex contrariis fieri affirmauit: Nos uerò falsum id esse tenemus, cùm generationem omnem a simili fieri, sit uerum.

1073 Lucem agere in tenebras, quas discutit; aiunt Peripatetici; quod falsum tenemus.

Va-

1074 Vapores in terrae concauis retentos,& gelatos,in lapides concreſcere,falſum eſſe dicimus : quia priùs in fluores, quàm in lapides inuerti neceſſe eſt.

1075 Ariſt. e uaporib. aquã generat;& nõ omnib.,ſed ex iis, qui ex aquis terrae incluſis educuntur: falſum eſſe ; quia ex terra potiùs,ni uelit Tartarũ,quem Platoni negauit, admittere.

1076 Aquã Ariſtoteles nõ e terra,neque e uaporib. e terra eductis generat;quòd arida,ſiccáq. illa,materiam ad humidae rei conſtitutionẽ emittere inepta uidetur : falſum eſſe totum id,

1077 Ariſt. quaecumque generantur,a ſole generari omnia, ſolo quidem,quae ſponte,nullóq. ſemine fiunt : at quae e ſemine oriuntur, a calore ampliùs ſemini incluſo: falſum Ariſt. uiſum eſſe tenemus. a 2.de ge. ani.c.3. & 4.c.6.

1078 Sed, Ariſtoteles,quae ranae ad ſolem ſimilitudo, & proxima ea,qualis nobis inquiritur,ſit? non profectò explicas , neque explicare umquam queas.

1079 Quo fit,ut neque ſuis placuerit omnibus ; tametſi alii , & longè quidem clariſſimi,hominis poſitionibus adquieſcere nequeuntes , uniuerſalem , atque unicam mundo indidere animam,quae ſe ipſam materiae indat cuiuis.

1080 Quidam intelligentiam commenti ſunt; cuius id eſſet munus,formas nimirum rebus indere,ut Auicenna,& plurimi ex Latinis,qui eum ſecuti ſunt.

1081 Sed utroſque hos mirari liceat, qui quae fiunt omnia, a calore conſtitui intuentes ; & ipſum inſuper , quem uenerantur , audientes , Ariſtotelem, a calore conſtitui omnia enunciantem ; calore omiſſo, aliam indagaſſe ſubſtantiam,uoluerunt.

1082 Quocirca antiquorum , ut uidetur , nullus, quae ſponte fiunt,a ſimili fieri,ſatis explicaſſe uideri debet.

1083 At neque fortè quae e ſemine conſtituuntur,eos explicaſſe.

1084 Ariſt.,& ſequaces,plãtis,& ſimilib.aliis entib.,calori itẽ,& frigori negãt ſenſũ eẽ: illúmq. tãtùm adeſſe animali ponũt: nos

autem falsum esse totum hoc, tenemus.

1085 Oculos, nares, aures instrumenta esse sensuum, Arist. fatetur, ac Peripatetici: falsum.

1086 Caelum caloris expers, ac incapax tenet Aristoteles: falsum.

1087 Solam materiae appetentiam, quae scilicet una sit, & communis omnibus, corruptionis caussam esse Peripateticis uidetur; ideóq. sublunaria etiam omnia corrumpi contendunt omnes: falsum hoc esse tuemur.

1088 Inexsistere quod Peripatetici autumant materiae uniuersae, & cuilibet materiae portioni formas omnes qualitatésq.; non omnes tamen actu, sed unicam tantùm, reliquas uerò potentia: falsum existimamus.

1089 Quod item Peripatetici[a] dicunt, actionem agentis nil aliud esse, quàm extrahere rem de potentia ad actum: & quòd materiam ipsam inexsistentibus formis, & in ea delitescentibus externae similes concinnant, & aptam illis faciunt, propriámq., quo tacto elucent illae, & in opus exeunt: falsó.

a Auen. dis. 2. sol. 5. dub.

1090 Quod neque Peripateticis[b] ignis motus is, quo cum caelo circumuolui apparet, sed qui sursum est, Aristot. uidetur: falsum.

b 1. cae. c. 2.

1091 Demum rationes, quibus Arist. caelum caloris expers, & incapax probare contendit, nullius esse momenti tenemus: ideóq. falsas.

1092 Terram Arist. moueri asserit: falsum.

1093 Vni substantiae, & corpori unus tantùm dandus est Aristoteli motus: falsum.

1094 Motui sursum, contrarium esse motum, qui deorsum est, Arist.: falsum.

1095 Vnde falsi omnino uideri Aristotelici debent, ignis uniuersitati non proprium, naturalémq. attribuentes motum, at & ipsi immobilitatem, ueluti & terrae.

1096 Nequaquam igitur, & terram ipsam, & corpora omnia naturalia,

turalia, omnino mobilia poni debuere, ipsi Aristoteli.

1097 Quem presentis gratia positionis, non & sensus, & propriorum etiam decretorum obliuisci oportebat; sed in iis, quae, sensum, naturámq. secuto semel posita fuerant, perpetuò standum, & natura perpetuò sectanda, & propriae positiones illi accomodandae.

1098 At neque quae in proprio loco natura quiescere, & immobilia esse uidentur, sponte etiam sua ad illum deferri, uisa, proprio, & naturali motu deferri uideri debent.

1099 Nec quòd terrae partes a proprio loco abstractae, sponte delabantur sua, eóq. uelociùs, quò maiores, & quò proprio loco propinquiores factae, is naturalis, uel terrae ipsius, uel eius partium motus.

1100 Ideo uerò summè terrae partes immobiles esse uideri debent, quòd in sublimi sustinere sese minimè queant.

1101 Contrà ergo quae sese sustinendi facultatem habent, mobilitatis indicium, principiúmq. praeferunt.

1102 Quae ui mouentur Arist. [a] ubi longiùs ab eo, quod uim intulit, distant, tardiùs; ubi uerò propinquiora sunt locis suis, celeriùs feruntur; eò quia motus proprius magis assiduè cōcitet, uiolentus ille contrà languescat: falsum. a 1. cae. c. 8. b 3. cae. c. 5.

1103 Cur autem grauium ad inferna motus assiduè magis concitetur, propterea quidā Peripatetici inquiunt, quia e sublimi decidit lapis extremum, & terrae contiguum spatium uelociùs conficit; quòd simili, cognataéq. terrae proximior factus, propriae naturae, & propriae etiam grauitati, quibus ab alieno loco, & a contrariis ueluti exutus fuerat, restituitur: falsum putamus.

1104 Falsum & illud, quod quidam alii, quòd minor scilicet subsit aër, & qui itaque faciliùs findi possit.

1105 At quòd alii, quia assiduè a maiore aëris copia propellatur, deiiciatúrq., uanum id esse, & falso innixum fundamento.

1106 Eandem uel sui ipsius, uel materiae quantitatem calori, c 1. Met. c.

frigoríq. tributam esse Arist. putauit: falsum.
1107 Stellarum, quae currere uidentur, uelocitas, & solis albedo non igneum esse caelum Arist. indicare uisa sunt: falsum.
1108 Quinimmo signa, quibus orbes, stellásq. ab igne diuersas esse, Aristoteles putauit, contrarium ostendere; & orbes, & solem, stellásq. igneas esse declarant.
1109 Ne ipsi quidem igni ut propria substantia, inexsistit calor (aiunt Peripatetici) omnibus tamen, ut inexsistentis formae minister, organúmq. potiùs inest: falsum.
a 5. phy. 105. 1110 Quod Peripateticorum nonnulli a nequaquam substantiae cuilibet substantiam quamlibet opponi negarunt, non siquidem simplici simplicem; quas nimirum apertè sibi ipsis opponi enunciarit Arist., sed compositae compositam: haud rectè eos dixisse opinamur.
1111 Minùs itaque malè, & fortè rectiùs alii, qui nō formae formam contrariam; sed aliam substantiam, negant.
1112 Substantiam ergo quod dixit Arist. nec magis, nec minus suscipere: falsum.
1113 Quod Peripatetici substantias adserunt, sensu non percipi: falsum.
1114 Rectè tamen aliam a calore substantiam entibus Peripatetici indant, si illorum quaedam uel agant quid, uel operentur; quòd calor agere aut operari non possit.
1115 Nimis itaque praesentium positionum ubique tenaces Peripatetici, qui eas modò ne deserant, nihil moliri, nihil effingere, nihil etiam propriis decretis repugnare uerentur: qui nimirum summè cùm eas modò indendas esse entibus substantias, concedant, quarum uel actio quaepiã, uel operatio appareat; quae nihil agere, nihil operari uidētur, summè eas indere prohibeant: nihílq. in igne cùm intueatur, quòd calor quiuis per se, nullíq. igni inhaerens, & nullius igitur ignis formae organum agere, operaríq. possit; aliam a calore substantiam igni indant.

1116 Temerè itaque,&paene desidem illam inertémq.
1117 In animalibus uerò,&eò magis assiduè,quò oportet aduolans,&actionis immutans modum,animae organum iure Peripateticis ponatur.
1118 Verùm quo pacto uel anima ipsa quò opus est, illum mittit,uel unde opus est, illum auocat; uel quomodo eius uires, actionésq. uel intendit, uel remittit, uel ipse per se calor stupidus Peripateticis uisus, animae uoluntatem percipit, & cur illi obsequi, & morem gerere uult, ex qua ratione, actionis modum immutat, Peripatetici declarent.
1119 Id iam non praestiterunt,nec praestabunt umquam.
1120 Quid itaque? Quod ne igitur animae organum, sed ipsa animae substantia,uideri debet.
1121 At neque simplicia constituens Aristoteles,[a] aliam usquã praeter calorem, affert substantiam,a qua constituta illa,aut illorum quid,uideri possit. a 2.de gẽ. c.1.
1122 Itidem neque mista componens; quae omnia ex elementorum componit differentiis,non quidem integris,sed mutuò passis,imminutísq.
1123 Quin & animalium etiam animae, ubi eorum generationem proximiùs intuetur,a calore constitui, Aristoteli[b] uidentur. b 3.de ge. a ui.
1124 Nec uerendum uel Peripateticis ipsis, substantias quòminùs ponant sibi ipsis etiam contrarias. nam uel rerum principia;quae rerum formae,& rerum substantiae sunt, & a quibus res constituuntur;inquirens Aristoteles,contraria illa ponit.
1125 Magis itaque,& minus suscipient? Quid ni!
1126 Miniméq. omnium id Aristoteles negare poterit, cui nimirum simplicia omnia mistis inesse placet, remissa illa, atque imminuta: remittuntur itaque.
1127 Quinimmo, & entia quaeuis, & ipsa etiam eiusdem speciei animalia longè diuersissimis propriis predita uiden-

uidentur uiribus, longéq. diuersissimè proprium conficere opus, quòd diuersae sint ipsius formae, uigentes scilicet, languentésq.

1128 Valeat organi ineptiae caussatio.

1129 Valeat itidem materiae seorsum malignitatis incusatio.

1130 Arist. quae priora sunt contraria, & quae continent ma-
,, gis, & magis secundùm rationem nota exsistunt, principia po
,, nenda existimauit; qualia Par, & impar, Magnum, & paruū,
,, & excessus omnino uidetur, defectúsq.

1131 Quae uerò continentur, posterioráq. sunt, & secundùm
,, sensum notiora; qualia calidum, frigidúmq., & humidum, sic
,, cúmq., & densum uidentur, rarúmq.; minimè recepit: Quin immo haec ponentes, hoc ipso damnat, & illa afferentes, hoc ipso admittit, probátq. sed falsó.

1132 Porrò esto, haud perperam principia, quae alia continēt, miniméq. ab aliis ipsa continentur, ponenda esse Aristoteli ui sa sint. At non eousque producenda est res, ut ne ea ponamus, quae ab aliis contineri uideri possunt; ea sensibilium rerum agentia principia ponamus, quae neque sensu ullo comprehendi queant, neque agere, constituerèue quid; quin ne exsistere quidem ipsa, at a nobis imaginata, effictáq. continere illa uidentur.

1133 Nec clam me est, Aristot. ad rerum generationem, quandam eius priuationem, ut non ens, adduxisse.

1134 Hoc uerò modo, *Nullo pacto, priuationem unum ex principijs esse, ut credam adduci possum.* Quod cùm aliàs tutatus sim, nonnullíq. id oppugnare nequidquam aggressi sint, cùm tamen expugnasse uideri uellent, si talem exitum sortietur illorum irruptio, qualem tum sortita fuit, quid obstat, quò minus integram caussam, sartámq. tectam adhuc retineam!

a 2. de ge. 1135 Sensibilis corporis principia inquirenti Arist.[a], & etiamnū sensi-

ſenſibiles indagatae ſunt contrarietates, & quae maximè exſiſterent communes, & omnibus ineſſent ſenſibilibus corporibus, tactiles uidelicet, & quae primae eſſent.

1136 Huiuſmodi autem uiſae ſunt, caliditas, frigiditáſq., tum humiditas, & ſiccitas: falſum.

1137 At omnibus ineſt Ariſt. quòd a nullis ipſae manāt, neque a ſeipſis mutuó.

1138 Quin & qualitates reliquae, ab his manare uidentur.

1139 A contrariis porro principiis, & mutuò in ſeſe agentibus,
› › mutuóq. patientibus conſtituta prima corpora, mutuò in ſeſe
› › inuerti, immutaríq. omnia: falſum.

1140 At multò illa faciliùs, promptiúſq. quae alterum princi-
› › pium commune habent; in quibus nimirum modò inuerten-
› › dum ſit, immutādúmq. falſum: licèt Ariſtotelis furtum in his
› › omnibus patefiat.

1141 Quin ſi duorum mutuò in ſe agentium altera in utroque inuertatur qualitas, harum itidem migrationem facilem eſſe: falſum.

1142 Quod itaque ad primorum corporum conſtitutionem, duplici utitur Ariſt. oppoſitione: falſum.

1143 Item quòd altera utitur, quae & nihil agere, & manare ab altera, ipſi uidetur: falſum.

1144 Si una; inquit;[a] ſit contrarietas, iuxta quam corpora muta
› › tionem ſubeant, duo ſint prima corpora neceſſe eſt: materia a 2. de ge.
› › enim medium eſt, inſenſibilis ipſa, inſeparabiliſq. Cùm igi-
› › tur plura uideantur prima corpora, duae ad minimum contra
› › rietates erunt: falſum.

1145 Duae autem cùm ſint, tria corpora eſſe non poſſunt, ſed
› › quattuor, quot uidentur: falſum.

1146 Non igitur, quod facere uiſus eſt, agentia priùs principia indagaſſe uidetur Ariſt., & iuxta principiorum numerum, corporum numerum poſuiſſe; ſed ipſorum corporum numerum priùs intuitus, tot attuliſſe agentia principia, quot ad illum explendum, ſatis uideri poterant, uidetur; errore qui-

dem

dem lapsus non uulgari.

1147 At illud mirari hominem liceat, quòd omnia e terra a sole constitui intuitus, & praedicans etiam; terrae itaque Matris nomen, Patris caelo attribuens, non primum alterum corpus terram, caelum alterum ponit.

1148 Quinimmo, caelo ipso omisso, & aquam, & aërem, qui nos ambit, & qui caelo subiacet, caeli loco prima statuit.

1149 Nec obstat quidquam nobis, si Hippocratis rationes obiicias; a quo (ut Galenus [a] quoque falsò existimauit) Aristoteles desumpsisse ui detur, quattuor esse elementa.

a 1. Meth.

1150 Quin fortè nec; quod magis refert; obstet Ocelli Lucani Bernardini Telesii uiri doctissimi, & nostri conterranei, doctrina: quam edoctus priùs Hippocrates fuit; deinde uerò Aristoteles eam totam ita excoluit, ut non solùm de quattuor elementis doctrinam, sed de mundi aeternitate, totam, & eius singulas rationes longioribus uerbis transcripserit. Quæ, & cetera furta, doctrina uir eximia deteget F. Patricius.

1151 Is enim Pythagorae auditor, sexagesima Olympiade docuit, multò quàm Hippocrates, antiquior; qui & Socrate, anno tantùm, senior fuit.

1152 Nec ullis rationibus uel esse prima corpora, uel quae illa sint, colligendum uidetur, sed a sensu ea habenda.

1153 At si rationibus ullis, quae sint ea, declarandum, non huiusmodi afferendae sint, quae non remotae tantùm, sed quod quaeritur, fortè sumere uidentur.

1154 Vnde quod dixit Hippocrates [b] si unum exsistat homo, nul,, lo umquam tempore dolere posset: falsum.

1155 Rectè itaque ex hominis morbis, plures esse naturas agentes, ratiocinatus Hippocrates, non rectè humiditati itidem, siccitatiq. agendi uim attribuit.

1156 Quod uerò ait Hippocrates; nisi calidum cum frigido, &
,, siccum cum humido mediocritatem, & aequalitatem mutuã
,, inter se habeant; sed alterum quàm alterum multò excellat,
,, & uehementiùs quàm infirmum, generatio fieri minimè poterit:

rit: falsum.

1157 Calorem item omnem, remissus qui exsistit, propterea remissum esse, imminutúmq. quòd frigore commistus sit, & ex aduerso: & humiditas, quae non summa est, talem omnino esse siccitatis commistione: falsum.

1158 Caloris itaque remisionem (id quod Arist. postea uisum etiam est) & contrarii omnino imminutionem, contrarii alterius commistione fieri, supponere uisus Hipp. falsum.

1159 Quod ampliùs, ait Hippocrates, necesse esse, hominis
» corpore intereunte, unumquodque ad suiipsius naturam secedere, & humidum ad humidum, & siccum ad siccum, & calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum; qualis natura tum animantium, tum aliorum omnium: falsó.

1160 Quod porro dicta quattuor corpora, prima esse, rerúmq.
» aliarum omnium, atque animalium elementa innuens, quia eorum corporibus quattuor humores insint, quorum singuli illorum singulis, proportione quadam, respondere, & similes esse uideantur: falsum.

1161 Quod item terrae similem uult Hipp. atram bilem, flauam verò igni, aquae pituitam, ac aëri sanguinem; quod totum semper Galenus [a] testatus est deinde: falsum. a 8. de Plac. Hip.

1162 At esto; detur hoc Hippocrati, nequaquam scilicet ab unica natura agente constituta esse entia, sed a pluribus; at non propterea humiditas itidem, siccitásq. agentes rerum esse, ue luti & calor, frigúsq. videri possunt.

1163 Nec enim quae immutant (vt dictum est) propria ui ulla, aut agendi facultate, aut actione omnino ulla, immutant; sed mole & quantitate, qua aucta, uel imminuta, & partes ipsae a propria dimouentur dispositione.

1164 Quippe qui ipsis inexsistit spiritus, quod summè ei molestum est, dolorificúmq., in angustius agitur constringitúrq.

1165 Neque enim ibi animal dolet, ubi uniuersum, & aequè singulis partibus, cibis in propriam singularum actis substantiam, excrescit, maiorémq. occupat locum, sed ubi pars quae-

piam seorsum ab aliis, uel omnes simul ab alienis intumescunt humoribus. Quod & Galenus non negat.

1166 Quare non rectè Hippocrati collectum uidetur ad animalium, rerúmq. aliarum constitutionem, quattuor illis principiis sibi ipsi commistis opus esse, cùm unum satis sit, calor commodam nactus naturam.

1167 Et rectè quae corrumpuntur, in ea resolui oportere, e quibus composita sunt, decernens; non rectè ex iis, in quae resolui uidentur; e terra, aqua, aëre, & igne, simul inexsistentibus; composita esse ratiocinatur.

1168 Quod igitur inde dicta quattuor corpora prima esse, uideantur, quòd rebus, animaliúmq. corporibus quattuor humores insint: falsum esse constat.

1169 Quod itẽ Arist. [a] ait, ex igne aër fit, siccitate depulsa; & terra ex aqua, eius humiditate deuicta, deiectáq.; ut humiditas in siccitatem agat, & e contrà: falsum: licèt ab Ocello furatus.

a 2. de gen.

1170 Nec uerò in simplicium constitutione, humiditate, siccitatéq., ut materia, & subiecto, usum dixeris Aristotelem: quòd vtique alibi innuere videtur, pati illas, atque in mistorum compositione, passiui principii uicem subire.

1171 Quando apertissimè idem (ut dictum est) ad primorum corporum constitutionem nequaquam duo satis esse agentia, constituentiáq. principia, quòd quattuor illa sint, enunciat.

1172 Et prima etiam corpora non solùm constituenti, sed inuertenti etiam illa, & commiscenti, humiditas, & siccitas agentes uidentur Aristoteli, nihilóq. quàm calor, & frigus, minús.

1173 Sed quid, si alibi eadẽ eidem Aristoteli, [b] quae priùs agẽs uisa est oppositio, agere nihil, & pati tantùm, & constitui ab altera, uisa est!

b 4. Meteo. c. 1.

1174 Nec itaque in eo tantùm prima corpora constituens, accusan-

cuſandus uideri poteſt, quòd generatilem ſubſtantiam dupli-
ci oppoſitione, & aequè utraque prima, & agente, informat;
ſed quòd illam adiecit, quae ipſi itidem agere nihil videtur, at
pati tantùm, ſibi primùm contrarius.

1175 Nec uerò; quòd facerent in miſtorum modò compoſitio-
ne, paſſiuas illas uiſas fuiſſe Ariſtoteli, Peripatetici dicant, &
non in ſimplicium itidem conſtitutione.

1176 Non enim ibi tantùm pati humiditas, ſiccitáſq. Ariſtoteli
videtur, vbi ſibiipſis commiſcentur, ſed utraque illarum per
ſe, & ſeorſum exſiſtens.

1177 Vt non iiſdem in commentariis, ſed uerbis paene in iiſdẽ,
ſecum ipſe pugnare Ariſtoteles uideatur.

1178 Rerum certè naturam ſuo arbitratu immutare Peripate-
tici uidentur, dum ſimplicibus inexſiſtẽtem humiditatem, ſic-
citatémq. agendi vi donant: vbi verò ſibi ipſis immiſcentur,
ea illas ſpoliant.

1179 At quid! non ſecum ipſe pugnare modò Ariſtoteles vide
tur, humiditati, ſiccitatíq., agendi uim praebens, ſed cum natu
ra ipſa, & ipſo etiam cum ſenſu.

1180 Nullam enim umquam uel humiditatem intueri licet, uel
ſiccitatẽ, quae in oppoſitam eo agat pacto, quo qualitates, for
maéq., agentes omnino naturae, agere, Ariſtoteli uiden-
tur.

1181 Itaque nihil terra umquã quod non exhauriat, imbibátq.,
exſiccat, nec aqua humefacit, quae non ſubit, quibúſve ſe non
indit. ſi hoc, humefacere eſt, & exſiccare illud, perpendi-
to.

1182 At ſimplicium etiam edocens conſtitutionem, [a] calorem
modò, & frigus agere docet; humiditatem, & ſiccitatem pati
tantúm. Quid ais! nón ne iiſdem paene in uerbis ſecum ipſe
pugnat Ariſtoteles!

a 2. de gen. c. 8.

1183 Quae a calore cõcreuere, a frigore diſſoluenda eſſe, eóq.
» humido [b]: falſum.

b 4 Met.

1184 Caliditas ſiccitati immiſta, ignem Ariſt. conſtituit; frigiditas uerò humiditati, aquam: haec uniens, non modò cum ſenſu, & natura, ſed ſecum etiam ipſe pugnare uideri debet.

1185 Terram ſicci magis, quàm frigidi; aquam frigidi magis, quàm humidi; aërem humidi magis, quàm calidi; ignem calidi magis, quàm ſicci (quae omnia ex Ocello ad uerbum, non ex ſe litteris mandauit hic εὑρετικώτατος Ariſt.) falſum.

1186 Nec uerò eo ſolo incommodo premi Ariſtoteles uidetur, quòd duplici ad elementa utitur oppoſitione, ſed alio itidem, & nihilo fortaſſe minore, quòd ſcilicet ſingula duplici donet natura, ſeu forma, oportet. Quod & Galenus[a] ſecutus ubique uidetur.

a Li. de elem.

1187 Neque enim ſi ab altero tantùm oppoſitionis utriuſque cõtrario ſingula conſtituta ſint, in omnia inuerti queant immutaríq. omnia: at in contraria tantùm ſingula.

1188 At quoniam in omnia immutari uidentur omnia, quattuor ponenti prima corpora, a duplici oppoſitione omnia, & ab altero oppoſitionis utriuſque contrario conſtituenda fuere ſingula, ut ſingula, quibus non utroque altero ſaltem oppoſita principio in reliqua immutari queant omnia.

1189 Rectè quidem modum uenatus Ariſtoteles, quo corpora a duplici conſtituta oppoſitione, in ſeſe mutuò tranſmutentur omnia.

190 At is etiam inueniendus ei erat, quo, a duplici conſtituta illa principio, & duplici donata natura, unum ea eſſe, non duo ſingula, probaret.

1191 Nec illud emplaſtrum nobis placet, quod alii ſuperimponere tentarunt, ut ſcilicet non qualitas utraque, formae uicem obtineat, ſed materiae altera.

1192 Neque illud, quod alii inquiunt, quòd e qualitatibus duae agere, pati duae, & ſingula prima corpora pati, & agere uidentur; ſingulis actiuarum alteram, qua agere, & paſsiuarum itidem alteram, qua pati poſſent, aſsignari oportet. abſurdum enim & hoc.

Niſi

1193 Nisi & illud dicatur, quòd altera qualitas uerè formae uicem obtinet, altera uerò materiam disponit, aptámq. reddit: quae igitur priùs insit oportet, & dispositionis subeat uicem. hoc autem non siccitas magis, atque humiditas, quàm calor praestat, & frigus.

1194 Dicta quidem incommoda uitantes fortè, & Aristotelis sententiae haerentes magis, (qui hoc ueritus; ut uidetur; haud aequè a qualitate utraque singula prima corpora detineri pronunciat, sed unũquodque elementum unius magis esse) nequaquam illis minora subeunt mala.

1195 At neque seorsum singula intuenti, qualia Peripateticis ponuntur, uideri possunt.

1196 Primùm enim quod in aquae loco exsistens mare, aquae uniuersitas Aristoteli uidetur, & uideri omnino debet.

1197 At calidum, siccúmq. eidem uidetur, & uideatur necesse est, salsum exsistens, crassúmq.

1198 Nec propria illud natura frigidum, & dulce, humidúmq. adserat, & tenue; at tenuium, dulciúmq. partium abscessu, & calidae, siccaéq. exhalationis commistione a delabentibus delatae pluuiis, in contrariam actum esse naturam.

1199 Salsedinis caussa inspecta dictã de mari dubitationem sol
» uet, reiiciétq., & efficiet ut primam de mari existimationem,
» qua mare, aquae elementum statuebant, rectè, & necessariò
» ponamus mare, aquae elementum: falsum.

1200 Aërem in ignem inuertens Arist. sola immutata humiditate, & e terra, atque aëre ignem constituens, a calore summo ipsum constitui declarat: falsum.

1201 Siquidem a calore summo, & ab eodem omnino, a quo ignis, aërem constitui ipse apertissimè declarat Aristoteles, in ignem ipsum inuertens, sola immutata humiditate; & e terra, atque aëre ignem constituens, huius calore, illius remanente siccitate.

1202 A calore igitur summo constitutus aër, ueluti, & ignis per se ipse caleat semper, nulla externa, ut calidus fiat, ope indigẽs

Frigi-

1203 Frigidus certè nũquam sit;at is ubi a reflexa solis luce non calesit,non modò non calidus,sed etiam frigidus fit.qualis esse quandoque etiam Gale.uisus est.

1204 Et aquae igitur summum frigus,& summum aëri calorem tribuẽs Aristoteles,nihil eorum naturas , nihil proprias etiam positiones alibi positas,at praesentes modò intuitus uideri potest .

1205 Aristoteles,inquam,qui uix dum humidi, siccíq. rationibus,& iis,quae utrique eueniunt,& quae utriusque propria uideri possunt,expositis;cùm eorum , quae sicci sunt , nullum , quae uerò humidi sunt , igni omnia inesse appareat , & nihil omnino terrae simile habere is uideatur , summam igni attribuit siccitatem,& ex dimidio terrae eundem facit.

1206 Peripatetici etiam , terrae interdum albedinem tribuunt, falsó.

1207 At falsò terrae , atque igni commune praebens Aristoteles principium,rectè utrique principatum tribuere uideri potest .

1208 Aëri itidem,atque aquae principatum tribuens, aequè ac terrae falsum .

1209 Si itaque elementa,ac corpora talia sunt,qualia Arist.ponuntur,tunc si eorum alterum,altera sui natura , alterum exsuperet,& ab eodem exsuperetur altera; altera itaque utriusque natura,materiam omnem occupante,id ex utroque fiat, quod a remanentibus,exsuperantibúsq. naturis fieri uidetur . Ex igne nimirum,& aqua,si illius siccitas huius humiditatem , huius verò frigus , illius calorem deturbet.ignis itaque siccitas, & aquae frigus utrumque uniuersum occupet ; terra ex utroque constituatur,cuius naturae sunt naturae,quae remansere .

1210 Ex aëre uerò,& terra,si illius calor,huius frigus, & huius siccitas,illius humiditatem deiiciat;aë ris itaque calor,& terrae siccitas utrumque omne occupet;ignis fiat, qui a naturis illis constitui positus est: falsum. Et fortè Arist. tot furtis hanc symbolam de suo contulit.

1211 At uel propriae positiones Aristoteli, aërem ex illis potiùs, ex his uerò aquam, uel aquae multò quàm igni proximius ens, & magis simile fieri declarare poterant.

1212 Ipsi enim si ex primis corporibus neutrum exsuperat alterum, id tertium omnino constitui uidetur, quod utriusque medium uideri possit.

1213 Potiùs igitur ex igne, & aqua aër, ac ex terra, & aëre aqua fieri uidetur.

1214 Vbi prima corpora [a] in sese mutuò agunt, nec eorum ullius natura reliquas exsuperat, deturbátq. & sola ipsa subiectum occupat; sed ueluti ex aequatis agẽtes uiribus, se se omnes mutuò tantùm debilitant, atque imminuunt; nulla itaque penitus corrupta, remanent quidem omnes, at mutua actione refractae, remissaéve, & imminutae: hoc ubi fit, nequaquam in illorum ullum accretio fit; nec simplex omnino cõstituitur, sed ex omnibus mistum, compositúmq. a2. de gen.

1215 Huiusmodi autem innumera paene fiunt; nec enim indiuisibiles primorum corporum uires, & quae se unico excedant pacto; sed carnes, & ossa.

1216 Multò autem ea perfectiora esse, nobilioráq. quàm prima sunt, simpliciáq., quae nimirum ad illa materiae uicem obtineant.

1217 Necessario item mistorum singulis prima omnia simul in exsistere.

1218 Neque enim fieri potest, ut rebus in proprio terrae loco confectis non ipsa insit terra: falsum.

1219 At nisi aqua etiam adsit, quae terrae infusa, ceu gluten quoddam, ipsam contineat, terminétq., per se consistere impotens defluat terra, dilabatúrq., nec corpus ex ea componatur ullum: falsum.

1220 Terra porro inexsistente, & aqua, & aër itidem insit oportet, atque ignis.

1221 Eorũ itidẽ substãtiã, formámq. nullã esse e quattuor dictis naturis, nec purã, uigẽtémq. nec alteri commistam; sed aliam omnino

omnino a qualitatibus, & longè ipsis praestantiorem, nobiliorémq. falsum.

1222 Prauè porro prima corpora constituens Aristoteles, peiùs etiam ex eorum omnium mutua commistione reliqua componit.

1223 Qui nimirum ab eorum unius uel altera, uel, si uisum foret, utraque natura, at imminuta ea debilitatáq., singula constituere, & singulis oppositionis utriusque alteram modò naturam, at propriam substantiam indere cùm posset, singulis priorum corporum, omnium naturas omnes simul indidit summè inter se contrarias oppositásq.

1224 Et credendum omnino illis, si & commisceri interse prima corpora, quo illis placet pacto, possint.

1225 Quid! non possunt prima corpora interse commisceri, ut Aristot. aliísq., uisum est?

1226 Quo pacto? Vt scilicet adeò sibi ipsis uniantur, ut nihil illorum ullius perse, & seorsum ab aliis fiat; sed uerè unum omnino atque idem omnia fiant, eorum nullo abolito, interemptóq., sed omnibus in propria natura seruatis? Ita. Nusquamgentium.

1227 Quin prima corpora, nec corpora omnino ulla, quo Aristot. placet modo, sibiipsis commisceri posse, uel ex iis, quae Aristot. dubitat, manifestum uidetur.

1228 Mistio, inquit, fieri non posse multis uidetur; siquidem eo-
„ rum, quae miscentur, nullum perit, sed singula quantumuis
„ in minuta redacta, in propria seruantur natura; uel si summè in
„ minuta ea sint, refractáq., nihil nunc, quàm priùs, sibiipsis
„ commista sunt, sed apposita potiús. altero autem corrupto, eo
„ rum mistio facta non est, sed alterum perit, superest alterum:
„ mistio autem eorum est, quae seruata sunt. eodem autem mo-
„ do, cùm utrumque confunditur, ac temperatur, & utrumque
„ consumitur, atque interit.

1229 Sed deberes eiusdem Aristot. ad haec solutionem lectitasse. Nam tametsi per obscura res sit, & quae naturae ipsi repugnare

gnare

gnare uideatur, tamen magnae agendae sunt gratiae Aristot. qui nos ex iis angustiis liberare uisus est.

1230 Quin rẽ hanc, si, ut oportet, Arist. explicet, non modò quẽ amemus, laudemúsq., sed quẽ admiremur, ueneremúrq., dignus sit. sin cõtrà? Summè, ut opinor, incusandus, atque odio etiam habendus uideri possit; qui nimirum rerum naturam, naturaéq. operationes docere nos professus, iis posthabitis, reiectísq. etiam, suas nobis tradit opiniones, & summè eas naturae aduersas, repugnantésq.

1231 Solus credo, & oscitanter Arist. responsionem legisti. nũc uerò diligenter eam audias. Audiam.

1232 Entiũ, inquit, haec quidem actu, alia uerò potestate sunt:
›› contingit itaque quae commista sunt, quodãmodo esse, & quo
›› dammodo non esse. quod ex ipsis effectũ est, actu quidẽ aliud
›› ab iis, e quibus effectũ est, exsistit, potentia autem ea omnia,
›› quae priùs, quàm commiscebantur, erant, nec abolita.

1233 Videntur enim quae commista sunt, e separatis priùs coiis
›› se, & posse separari: neque igitur actu permanẽt, ueluti corpus,
›› & album: neque corrupta sunt, neque alterum, neque utrum-
›› que: seruatur enim utriusque potẽtia. habésne Arist. solutionem? Habeo, sed falsam.

1234 Magnas mehercule Arist., ut ingenuè fatetur ipse, actus, po tentiaéue distinctioni gratias debet; cuius nimirum ope ex an gustiis quibusuis euadere nihil desperat.

1235 Et prima igitur corpora in aliã omnia acta rẽ, & unam eam eandémq. omnia, & penitus ab ipsis diuersam; uerè tamẽ qualia erant, remanere singula, affirmare nihil ueretur Aristot.

1236 Quoniã enim sensui expositae res, & quatenus sensibiles sunt, tractãtur, sensui utique exponendae manifestandaéq. sũt omnes, & eae diligentiùs, quae sensui aduersari uidentur.

1237 At non distinctionibus, & inanibus omnino uerbis quae fieri non possunt, falsáue apparent; sed rebus ipsis, & quae fieri possunt, & uera esse ostendat, qui rerum naturam explicat, oportet.

1238 At ne hoc quidem Aristoteles facit, cùm secundorum corporum partes singulas in ea prima corpora reliquis promptiùs inuerti non declarauit, e quibus constitutae ipsae sunt, quando quoduis e quouis fiat, non magis secundis prima inesse, quàm e primis secunda constituta uideri possunt.

1239 Quare nec iis prima corpora omnia inesse, nec abolita ea, & in aliam acta rem eidem declaratum est.

1240 Vnde minimè iam e primis corporibus sibi ipsis penitus commistis, & mutua actione in aliam, & in eandem omnibus actis rem, secunda corpora ponat.

1241 At e quibus? ex appositis igitur illis, & in debilitata ea quidem refractáq., at in propria singulis seruatis natura.

1242 Secunda itaque corpora Aristoteli erunt prima omnia sibi ipsis apposita? Ita.

1243 Id uerò minimè omnium concedet Aristoteles uerum.

1244 Non enim ei mistio est, ubi eorũ, quae miscentur, nullum perit, sed singula uel in minutissima redacta, & uel eorum uiribus summopere imminutis, seruantur tamen; ubi nimirum in id, quod efficitur non aequè agantur omnia.

1245 Itaque neque si coire queant simplicia corpora, quo insint mistis pacto, satis ex plicent Peripatetici umquam. oportet autem hoc, mistorum constitutionem a simpliciorum generatione differre uolentibus, quòd in hac simplicium alterum corrumpatur, & generetur alterum; nullum in illa generetur, & corrumpatur item nullum: Insint itaque omnia, at non integris uiribus mutuò a se ipsis passa, imminutáq. Quod quo fieri queat pacto, longè obscurissimum. in diuersa itaque feruntur, neque ullus alteri placet.

1246 Non itaque ex omnibus primis corporibus, sed ex unica re constituta entia, eáq. in res corrumpi possunt, quae illis singulis similes uideri queant.

1247 Quin ut terra, e qua praecipuè mista fieri uidentur, se se contineat, ne concidat, diffluátq., aqua opus est, quae illam,

ueluti gluten, contineat: falsum.

1248 Si siccum eidem est, quod proprio termino continetur, optimé.

1249 Nec itidem aqua inesse etiam ulla, aut alia omnino humiditas compositis uidetur multis.

1250 Et neque indenda est, ut sese illa contineant.

1251 Neque enim terra, a qua praecipuè componi uidentur mista, aut siccum omnino quod est, delabatur defluátq. nō ab humiditate aliqua retentū, coërcitúmq., ut Aristoteli uidetur.

1252 Neque Aristoteli ipsi hoc ipsum uideri potest; si positionē suam agnoscere uelit; quod sicco attulit.

1253 Quin quò exsiccatur quid magis, eò etiam Aristoteli consistit magis, magísq. densatur, & unum fit.

1254 Ferrum itaque saepius fusum ne liquescere quidē, & fundi ampliùs Aristoteli uidetur.

1255 Humidum contrà, quod se ipsum continere minimè potest, sed diffluit, dilabitúrq.

1256 Nihil igitur contra proprias positiones, propriáq. decreta dicere Aristoteles magis queat, siccum scilicet ut consistat, a re maximè diffluente continendum.

1257 At sicca; ut existimare licet; solidáq., & densa, quadam humiditate a praepotente calore emuncta concidere Aristoteli uisa. quae igitur ab humiditate contineri uideri poterant, e propria hominem deiecere positione, & compulere, inuitum reor, ut siccū ne concidat, humido habere opus, assereret.

1258 Mirari licet: nam & multa intueri potuit, nulla penitus superstite humiditate, sese ualentissimè continentia, longéq. facta duriora, densatáq. magis.

1259 Non temere igitur propria positio deserenda erat, quae praesertim sensui consentiret, sed aliud priùs considerandū.

1260 Quid itaque! num scilicet quae humiditate elabente dissoluuntur, propterea dissoluantur, quòd humiditas, a qua, ueluti a glutine quodam continebatur, elapsa est omnis, an alia magis de caussa!

1261 Nec enim quae aqua infusa contineri uidentur, ab ea, ut ab humidissima, & summè diffluente, summéq. tenui continẽtur re, qualis mistionem effugiat, praeterlabatúrq. omnem.

1262 Quare si uera sit Aristotelis ratio, aër terram contineat maximè, cui propria esse humiditas, Aristoteli prima componenti corpora, uidetur.

1263 Neque aëris modò, modò aquae humiditatem propriã esse asserere liceat. quod & Aristoteli uisum quoque, rerum naturam suo arbitratu immutanti. Quod, ut dictum, a Galeno partim amplexatum animaduertimus.

1264 Nec uerò propriam utriusque humiditatem asserat quis, ut Peripateticorum nonnullis placet.

1265 Vtrumque enim, quod humidi proprium uidetur, multò aër, quàm aqua habet magis.

1266 Aëris igitur perpetuò propria humiditas Peripateticis uideri debet.

1267 Et qui terram contineat, si ab humido cõtinẽda est ullo.

1268 Nec uerò siccum ut contineatur, humido quidem opus habere, non aërio, aliqua possunt dicere ratione.

1269 Terra igitur ipsa sese, & propriis uirib. continere uidetur.

1270 Nequaquam itaque ad secundorum corporum compositionem opus habet aqua Aristoteles.

1271 At multò etiam minùs ad mistorum compositionem aër erat Aristoteli asserendus.

1272 Neque itidem ignis.

1273 Non enim quid aër in terram agat, uel quomodo cũ igne ad illam delabatur, docere nos potest.

1274 Vt enim detur ei, aliquas ignis partes a caeli motu commotas, deturbatásq. deuolui, ac deiici, non quidem ut ad terram usque delabantur, dari potest.

1275 Et non ad terram usque delabi illas oportet, sed ad maris fundum, & ad profundiores terrae partes.

1276 Cur ita? Quia in his mista fiũt longè plurima, & sũmo prae

dita

dita calore, salsa, nitrosa, sulphurea, bituminosáq.

1277 Nec quidem eousque a caeli motu deiiciatur ignis aut stellarum ui & uirtute, ut Peripateticorum nonnullis placet.

1278 Longè minùs, illarum etiam uoluntate.

1279 Nec illorum commentum admittendum, qui dicunt, mistorum, quae assiduè fiunt, nequaquam e simplicibus constitui ullum, sed a praeexsistentibus mistis omnia.

1280 Nec uerò si modum Peripatetici inueniant, quo ad mistorum compositionem, & aërem deferant, & ipsum etiam ignẽ, in tuto iam apertóq. sint.

1281 Cur ita? Quia & aliae illos excipiunt angustiae, & quas fortè longè euadant aegriùs, quòd scilicet propriis positionibus, & ipsi rerum naturae maximè aduersari, repugnaréq. uidentur.

1282 Quid id est? Dicam. naturae uidelicet summè inter se cõtrariae iungendae, & in uno eodémq. locandae subiecto.

1283 Quid ampliús? Nec contrariae agentes naturae coniungendae modò, sed inter se conciliandae insuper, earúmq. actiones sistendae omnes, coërcendaéq.

1284 Minùs haec nos laedunt Peripateticos. remanent quidẽ, at mutua actione refractae, remissáue & iminutae; unde fit mistum ex omnibus, compositúmq.

1285 At illud, quòd maximè opus est, non explicat Aristoteles, nec uos etiam.

1286 Quod nam illud?

1287 Cur, inquam, in sese agere cessant naturae agentes? nũ actionem pertaesae, ac pugnam?

1288 Non tantùm hoc fortè, sed quòd sibi ipsis mistae, sese mutuò oppugnare desistunt.

1289 Intelligo; uelut foedere inito, aut indutiis factis, in eodẽ regnant subiecto. nónne? ridicula capita!

1290 Qui igitur in eodem exsistentes subiecto, quiescant illae, cùm in separatis exsistentes, agere tamen semper in opposi-

tas

tas ipsis in primis, uidentur Peripateticis!

1291 Huc illuc ferantur Peripatetici, rationem tamen numquam inibunt, qua inter se contrarias agentes naturas simul iungant, & in unum agant.

1292 Illud insuper certissimo indicio est, nequaquam secundis corporibus prima omnia, omnésq. eorum naturas mutua actione passas, imminutásq. inesse, & aquam primum corpus non esse, quòd succi longè plurimi longè illa sint frigidiores.

1293 Nec uerò succis ullis non aquae modò, sed terrae itidem frigus inesse dixerint, quòd siccitati iunctum robustius effectum sit.

1294 Calorem itaque exacuere uisa siccitas, frigus obtundere uideri debet.

1295 Incusandus praeterea Aristoteles, si frigus exacuit siccitas, quòd summum illud humiditati copulauit, non siccitati.

1296 Igitur quod aiunt, siccitatem non caloris modò, sed frigoris limam esse: falsum.

1297 Non contentus porro Aristoteles, primorum corporum principia attulisse, quae materiae, & quae formae rationem habent, efficientia itidem inquirenda proponit.

1298 Superuacaneè; ut uidetur. quoniam enim efficientes caussae iis, quae formae, & iis itidem, quae finis sunt, uel Aristoteli eidem in naturalibus uidentur.

a. 2. de gen.

1299 Qui ignem ponunt, [a] praeterquam, quòd rem pro principio agente ponunt, quae non agere modò, sed; quòd efficien-
,, ti caussae minimè conuenit; pati etiam uidetur: falsum.

1300 Simile quid faciunt, ut si quis serrae, & organis singu-
,, lis, effectorum caussam attribuat: serra namque exsistat, si
,, secatur, necesse est; non tamen serra secat: sic ignis, &
,, peiùs etiam, quoniam instrumenta non mota, nihil mo-
,, uent.

1301 At calor, & frigus, nisi ab utente ipsis moderentur regan-

gantúrue,ſubiectum corrumpunt.

1302 Aliud itaque pati ipſum impotens, & qualitatum fortè,
» ut organorum,opera uſum,& ipſas perficit,& nobiliores ſub-
» ſtantias conſtituit.

1303 Caelum uidelicet ipſum,& caeli motus, obliquus praeſer
» tim,qui generatiuum adducens,abducénsq.ſolem, generatio
» nem facit,& ipſi contrariam corruptionem: falſum.ſed cur nō
» dixti Ariſt. a quo haec ſumebas ad uerbum!

1304 Calor,& lux a ſtellis fit,aëre ab illarum latione contrito:
» falſum.

1305 Motus enim ligna, & lapides, & ferrum ignire aptus
» eſt· rationabiliùs igitur id,quod igni propinquius eſt.propin
» quior autem eſt aër,ueluti & in iis,quae feruntur ſagittis: hae
» enim & ipſae ſic igniuntur,ut plumbei earum mucrones colli
» queſcant: falſum.

1306 Et quoniā hae igniuntur,neceſſe eſt eum,qui in ipſarū cir-
» cuitu eſt,aërem hoc idē pati.hae igitur ipſae incaleſcunt,quia
» in aëre feruntur,qui ob plagam motu ignis fit: falſum.

1307 Eorum autem,quae ſurſum ſunt, unumquodque in ſphae
» ra fertur,ut ipſa quidem non igniātur: aërem autem, cùm ſub
» corporis circulariter moti ſphaera exſiſtat, neceſſe eſt, cùm
» illa fertur, incaleſcere, & hac maximè, qua ſol exſtat in-
» fixus.

1308 Quapropter exoriente ipſo,& appropinquante, & ſupra
» nos exſiſtente,generatur calor: falſum.

1309 Motionem,ſecernendi,incendendíq. aëris facultate prae
» ditam uidemus: itaque una ſolis motio calori, teporíq. afferē
» do eſt ſatis: incitatam enim eſſe oportet,& procul non diſtare:
falſum.

1310 Ac quae quidem ſtellarum eſt, uelox ſane eſt, ſed procul
» abeſt;quae uerò lunae,inferior quidem eſt,ſed tarda: ſolis au
» tem motio ſatis utrumque habet.

1311 Porro calorem unà cum ſole excitari, rationi
con-

,, consonum esse intelligimus, ex iis, quae apud nos fiunt, similitudine sumpta.

1312 At & ipsum, eorum, quae apud nos fiunt, similitudine, penitus falsum uidetur.

1313 Nã & hic si quaedam ui ferantur, proximus aër primùm
,, incalescit: id quod recta euenit ratione, quandoquidem rei so
,, lidae motus, aërem maximè secernit: falsum.

1314 Partim itaque hanc ob caussam ad hunc locum calor per
,, ducitur, partim quòd ignis aërem ambiens, motione saepius
,, diuellatur, & ui deorsum feratur: falsum.

1315 Nihil itaque ignem contingens sol, & circulo ipse delatus, qui ignem deorsum deiaculetur, imaginari minimè licet.

1316 Vt nimius propriarum positionum amator Aristoteles uideri possit, qui modò ne caelum igneum fateatur, calorem, qui a sole fit, modo, rationéq. fieri ponat, quae non modò manifestè falsa sit, sed quae nulla concipi queat imaginatione.

1317 Nec eo modo, ut Aphrodisiensi placuit, eáq. ratione sublunarem aërem, nihil eum contingens, sol conterat, qua Torpedo in retibus deprehensa, piscatorum manibus torporem infert, nulla re tali retia ipsa afficiens. falsum enim uideri potest.

1318 Quin ipsemet Aphrodisiensis neque Torpedinis exemplo contentus, neque iis, quae ab Aristotele acceperat, adquiescere ualens, rei omnino cessit difficultati.

1319 Vnde fortè non impatibile diuinum corpus. neque enim inalterabile ipsum demonstrasse Aristoteles, eidem Aphrodisiensi uisus est.

1320 Quare minimè uidetur Aphrodisiensis reformidare, caelũ calefieri a motu, fateri, sed illud abhorrere, ne scilicet etiã ipsum corrumpi, fateri cogatur.

1321 Summè certè incusandus Aphrodisiensis, qui calorem a caelo ipso manare intuitus, proprium ei dare reformidarit,

alienum

alienum dederit libens, a quo nihil, quàm a proprio corrumpatur, minús.
1322 Fortè & magis.
1323 Auerroës uerò licèt nihil a non contingente, locali motu moueri posse, intermedio corpore non commoto, praedicet, ne tamen; quod summum scelus Peripatetici putant; Aristotelis positionum desertor uideatur, malum scilicet & ipse malo mederi uidetur.
1324 Minimè enim ipse adseruit, solem ipsum aërem conterere, at uires tamen, & quasi robur suppositae orbium parti subministrare, & ueluti densitatem communicare. quod nihil aliud est, nisi figmenta figmentis fulcire.
1325 Quae igitur non propria tantùm ui, & extranea sui parte, qua aërem contingit, agens, sed cum uniuerso supposito caelo, & cum maximo, & densissimo sole robustiùs agat, & ui aërem conterat maiore, ueluti Solis densitatis facta particeps.
1326 Caloris quidem discrimina, quorum ratio reddenda est, uel nulli ignota, ante oculos tamen ea ponere philosophi ne dedignentur.
1327 Quàm longissimè Peripatetici absunt, praestare id ut possint.
1328 Cùm enim eadem perpetuò sol circumuoluatur uelocitate, nequaquam uel crassiorem, repugnantem itaque magis, quàm tenuiorem conterit.
1329 Vel in meridionalibus magis illum terris, quàm in borealibus, uel aestiuus ipse magis, quàm hibernus; uel medium caeli tenens magis, quàm eius extrema, robustiùs conterere uideri potest.
1330 At neque terris illum planis, humilibúsq. adiacentem magis, quàm adcliuibus, editisq., sed secus omnino.
1331 Lux itidem in aëre fit; Arist. ait; a Solis motu contrito, ue
» luti & calor: falsum.
1332 Nequaquam etiam igneum esse solem, lucere etiam uisum, & luce calefacere: falsum.
Q 1333 Neque

1333 Neque etiam Solis propriam esse lucem, sed & ipsam, ue luti & calorem, a Solis motu fieri : falsum.

1334 Quoniam uerò iuniores Peripatetici aequè aërem uniuersum terris contiguum cōteri intelligentes, at quae a luce illustrantur loca, longè quàm quae non illustrantur, calidiora, & ipsam omnino lucem calidam sentientes ; ab ipsa itaque admoniti re, non motu tantùm, sed luce itidem, calorem a sole fieri dixerunt : & ita Arist. uisum placitúmq. adserunt: falsum.

1335 Nec si propterea non iuxta terram, sed in sublimiore loco nubes congregari, & frigidiorem omnino esse illum, quē, iuxta ipsius positiones, multò calidiorem esse oportebat, propterea id euenire dixerit, quòd a reflexis radiis minùs calefit; propterea solem luce calefacere, placuisse illi, uideri potest.

1336 Neque igitur, si uel iuxta hominū uulgus loquutus Arist. uel ab ipsa coactus re, noctes, ubi luna uniuersa a sole illustratur, tepidiores percipiens, propterea tales esse affirmet, quòd lux ab ea copiosior resilit.

1337 Nec item quòd rationem reddat Arist. cur in lunae defectibus, terraemotus fiant, quòd Solis lumine priuata, lucem, calorémq. non ampliùs accipiat, aëriq. illum communicare nequeat, luce solem agere, eum uoluisse tenendum.

2338 Nam lunam, quódq. inter ipsam, solémq. est, corpus calorem suscipere ullum, summè est ab Arist. dogmate alienum.

1339 Luce quidem agere solem nullus ibi umquam dixit Aristot. ubi oportebat maximè.

1340 Nec antiquorum Peripateticorum ullus, quomodo calor a sole iuxta Arist. fiat, inquirens, lucis meminit umquam.

1241 Quorsum itaque Aphrodisiensis tam anxiè inquirit caussam, cur non aequè calefiant quae sol non collustrat, àc quae collustrat!

1342 Reformidatum itaque Arist. fuit, luce agere uideri solem, longè itidem absurdissima Alexandri uideri potest inquisitio.

1343 Iunio-

1343 Iunioribus postea Peripateticis, & ipsi in primis Auerroi; ut qui in ipsis, quae ab Alexandro allata fuerant, adquiescere minimè posset, nec rationem ipse inuenire ullam, qua loca a sole non conspecta, minùs calerent; luce itidem agere is uisus est.

1344 At quae a sole emanans non calido, minimè calida sit: falsum.

1345 Neque igitur per se, & a propria calefaciat substantia, Aueroi; sed ueluti; inquit; calorem generat motus non calidus ipse, sed calidi corporis conseruatio, & perfectio.

1346 Si quidem modo eodem & lux, & motus, ignem perficiat, calorémq. falsó.

1347 Nam quàm longissimè abesse uidetur Auerroës, ut motus exemplo, a non calida luce calorem fieri posse declaret.

1348 At quid! uel ipse Auerroës in motus exemplo minimè adquiescens, a re coactus tandem ipse, stellas igneae adserit naturae.

1349 Et lucem itidem calidam? Ita.

1350 At Arist. iuramento obstrictus, nequaquam libero, apertóq. id proferre audet ore, sed ueluti mussitans.

1351 At qui irritari a reflexione lucem, & irritatam, calefaciẽdi uires adsumere adserunt, deteriùs etiam Auerroë.

1352 Nihil iis meliùs, qui aërem calore a luce donari, quòd tenuitate, proprio caloris subiecto, donetur, contendunt.

1353 Eodem laborant morbo & alii, ac grauioribus etiam premuntur malis, qui licèt a luce tenuiorem aërem fieri affirmẽt, ac propterea etiam incalescere, non tamen quòd ingenitae tenuitati calor accedat, sed quòd aër amplior factus undequaque uniuersus simul diffunditur, uariisq. commouetur modis, & propterea incalescit.

1354 Omnium certè pessimi, qui huiusmodi adserunt esse lucis naturam, ut minimè ipsa calida cùm sit, calefaciendi uires a reflexione adsumat.

1355 Summè certè etiam Timaeus Telesii conterraneus, (cum quo & Plato incusandus est) qui nihil cùm in sole, quod solidum ipsum, renitentémq. magis, quàm flammas quasuis declaret, intuerentur, ueluti contracto eo, & summè duro inuento, non soliditatem modò, & renitentiam ei tribuêre, sed terram insuper indidere, a qua scilicet illas haberet.
1356 Propriorum & ipsi dogmatum ; ut uidetur ; parum memores.
1357 Et si circulari caelum mouetur motu, non ut intellectum imitetur, qui si unum, ut, Peripateticis placet, atque idem perpetuò intelligit, non circulo ; cuius similes quidem, at innumerae sunt partes ; sed puncto potiùs, centróq. intelligere uideatur.
1358 Falsò itaque abstracti, separatíq. atque immoti motores indagati sunt, quos intelligés, appeténsq. & quibus simile fieri studens caelum motu circumuoluatur aeterno.
1359 Res non summè modò obscura, & quantam ne cogitatio ne quidem adsequi ualeas, sed quae fundamento Arist. innititur tota longè infirmissimo.
1360 Quid si & insuper cum positionibus alibi positis stare minimè uelit!
1361 Rectè quidem quae praeter naturam mouentur, ab alio separato ab ipsis, distinctóq. moueri uideri debent.
1362 At nequaquam horum exemplo, quae sponte sua, & natura moueri uidentur, non a seipsis, sed ab alio, & ipso ab ipsis separato, distinctóq. moueri declarandum uidetur.
1363 At si rectè & animalia ab anima, ut a distincta separatáq. re moueri uidentur, minimè id tamen Arist. ponere licuit, qui nimirum id ponentes, summè alibi damnat.
1364 Falsum itaque Arist. ut diuersum animalia habeant mo-
„ uens a moto ; ut ueluti in nauibus, & in iis, quae minimè natu
„ ra constant, sed arte ; sic & in animalibus diuersum esse mo-
„ uens a moto.
1365 Licèt & ipsa ; ut dictum est ; rectè fortè ab anima, ut a di-

stincta

ſtincta re, nec ualde diuerſo modò corpori inſidente, quàm nauta naui, moueri uideri poſſunt.

1366 Falsò itaque animalium totorum motus exemplo, ſimplicia quae ſunt, ab alio ab ipſis diſtincto ſeparatóq. moueri declarare licet.

1367 Cur item animatorum modò, & uiuentium animalium nimirum proprius uideri debet motus, non & eorum omnium, quae a ſeipſis moueri aſſiduè, & ſeruari uidentur motu!

1368 Quin & conſiſtendi uim ineſſe ipſis oporteret, ut ignis nō
›› aſcendere tantùm, ſed & deſcendere, & motum ſiſtere etiam
›› poſſet, ſi per ſe, ut animalia, moueatur: falſum, & abſurdiſſimum.

1369 Summè item incuſandus Ariſt., qui uni, eidémq. enti, & mouendi, & à motu ceſſandi, principium indit.

1370 Et ſi rectè quidem quae motus principium in ſeipſis habent, omnibus ea motibus moueri poſſe uideantur, at ſuipſius oblito.

1371 At non propterea non & ignis propria natura mobilis, & a ſeipſo moueri uideri debet, ueluti & ſpiritus, uel recto ſolo, Ariſt. moueri uiſus.

1372 Non igitur non a ſeipſo moueri uideri debet ignis, uelut & animalia, quòd non multis & ipſe, ſed unico Ariſt. moueri uidetur motu.

1373 At multò etiam minùs, quòd continuus exſiſtit, & unus omnino, idémq. uniuerſus.

1374 Falsò itaque motus proprius, ut paſſio, uideri poſſit.

1375 Licèt multis diuiſionibus, ac multo apparatu, nequaquam tamen non à ſeipſis, & a propria natura, ſed ab alio ſeparato ab ipſis, diſtinctóq., quae natura mouentur, moueri declaret Ariſtoteles.

1376 Sed lignum, quod ignis potentia eſt, ignis motu moueri non poſſe, niſi actu ignis fiat, & ignis naturam adſumat, uiréſq.

1377 Neque enim id inquiritur mouens, quod lignum uertit.

Sed

1378 Sed a quo actu exsistens ignis eo modo ad proprium impellitur motum, quo lapides a proiiciente, & animalium corpora ab anima.
1379 Nusquam igitur locali illa motu a generante, aut alio ullo moueri declarat Arist.
1380 At ea donari natura, eáq. forma, cuius is proprius exsistit motus.
1381 Nusquam igitur satis hominẽ mirari queas, qui cùm eorũ, quae natura mouentur ab alio ab ipsis separato, distinctóq., nullum omnino in iis moueri declararit, at fieri tantùm ab alio; ex iis illa omnia ab alio moueri, enunciare nihil ueritus sit.
1382 Et propterea etiam mobilia quae sunt entia, nequaquam efficiens motus sui, nec faciendi omnino in seipsis principiũ habere, sed patiendi tantùm; quod falsum omnino est.
1383 Caelo itaque, horum exemplo, aliud a propria natura mouens adiicere falsò possit Arist.
1384 Per se mobile ut sit omnino, cuius pars altera moueatur,
„ moueat altera, non autem moueatur: falsum.
1385 Quod autem totum seipsum moueat totum, contingere
„ non posse demonstratur. quomodo enim uel effingi possit, eo-
„ dem motu deferre aliquid, & deferri! alterare, & alterari!
„ Eandem igitur rationem idem docebit, & discet: eandem sa-
„ nitatem curabit, & curabitur: falsum.
1386 Rectè quidem Arist. idem secundùm idem calefacere, & calefieri; agere, & pati; immutare omnino, immutaríq. nõ posse, positum uideri debet.
1387 At horum exemplo quae a seipsis moueri uidentur, similaria praesertim quae sunt, & tota simul motu eodem moueri non a seipsis, sed ab alio quopiam separato, uel a quopiam eorum per se, eáq. immota moueri ponere Aristot. minimè licuit.
1388 Vel si uocum aut inopia, aut ambiguitas, uel propriae ipsius positiones, id ut poneret, suadere debebant.
1389 Neque enim uel uocibus temere interdum inditis, uel pro-

propriis etiam positionibus sensus posthabendus est.

1390 Quid! ac si alterationis, immutationisq. propria ratio motui umquam conuenire posset.

1391 Mouere itaque, & moueri, penitus idem uideri potest.

1392 Nec si propterea quae mouentur, locum omnia immutare Arist. uisa sunt, & actu ibi a motu fieri, ubi potentiâ erant priùs; quae natura, & a seipsis totis tota moueri uidentur; non a seipsis totis moueri uideantur, quòd id si fiat, idem & potentiâ, & actu ad idem sit: nam falsum.

1393 Quid! ac si quae in proprio circumuoluuntur loco, locũ mutarent.

1394 Quod igitur Arist. uidetur, ut per se mobile id esse dica-
» tur, cuius pars mouet tantùm, pars tantùm mouetur; & quae
» mouet, ut sit ipsa penitus immobilis; quae mouetur, moueat
» interdum aliquid extrinsecus, interdum moueatur tantùm:
falsum.

1395 Ac si omnia ex diuersis partibus, & nulla similiaria essent.

1396 Videtur hoc; inquit; in animalibus apertissimé.

1397 At mihi quidem nihil aequè obscurum, non modò si ex anima, corporéq. ut e forma, & materia cõpositum sit animal, ut alibi Arist., sed si anima corpori insit, ut nauta naui, ut aliàs eidem placere uidetur.

1398 Et placeat necesse est, separatum distinctúmq. enuncianti mouens a moto.

1399 Quin & quod ait, rationabile immotum oportere esse,
» quod mouet; quoniam est quod mouetur tantùm, & est quod
» mouetur, & mouet, & id ibidem esse, rationi congruum est,
» quod mouet tantùm, & non mouetur: falsum esse.

1400 Liceret enim ex illis colligere tertium, quod scilicet gestare tantùm possit impelleréue quomodo dici omnino uideri debet, at minimè id immotum tamen. Tametsi nos aliàs demõstrauerimus, rerum ordinem exposcere, quartũ, quod scilicet nec moueatur, nec moueat. quod Arist. ignorauit.

Quin

1401 Quin quod quaeritur sumere uidetur Arist.
1402 Ac si diuersa sint mouere, & moueri in iis, quae natura mouentur, & a seipsis.
1403 Quoniam igitur alia ex anima, corporéq. ut e distinctis, separatísq. Arist. suísq. ponuntur, & motus ab anima sola fieri, eiúsq. solius proprius esse, nequaquam animatum uideri illis debuit caelum.
1404 At neque si sua natura immobile sit caelum, ueluti animalium corpora, modum effingere Arist. queat, quo a separata, immotáq. substantia moueri ipsum possit.
1405 At eo moueri caelum, ne ipsi quidē Arist. placere potest, spiritu nimirum ab anima appetente quid, uel auersante calefacto, frigefactóq.
1406 Nec praeterea qualecumque exsistat, ob externi cuiuspiā appetitum moueatur.
1407 Rationes itaque Alexandri, & aliorum ualeant.
1408 Nec, si Dei optimi maximi uoluntate dicant moueri caelū, cuius motu his inferioribus preueniat bonum, non erit necessarius, salutarísq. ei motus.
1409 Horum itaque gratia numquam moueatur caelum, nisi necessarius, salutarísq. & longè etiam iucundissimus sit ipsi motus, quóue ut propria oblectetur, seruetúrq. operatione, ut alibi, a ueritate coactus, edoctúsq., ipse itidem affirmat Aristoteles.

ANTO-

ANTONII PERSII POSITIONES

IN PHYSICIS

CV'M PRAETER ARISTOTELICAE PERIPATETICAE'VE PHILOSOPHIAE, TVM AVTEM PRAETER OMNIVM QVOTQVOT HACTENVS FVERVNT, PHILOSOPHORVM,

HOC EST IVXTA BERNARDINI TELESII CONSENTINI DOGMATA.



VNIVERSI NATVRA.

1410 CVM a Deo creati optimo maximo, atque in hoc mundo tamquam in amplissimo quodam theatro collocati fuerimus, qui, primùm ut spectatores humanarum actionũ, uicissitudinúmq., secundo loco ut actores, iudicésq. factos nos dixerit, uerè pronunciarit.

1411 Non enim possumus, si oculos habemus, non spectare res naturales: quas & orbium caelestium assidua conuersio, & hic telluris globus immobilis quotidie spectandas contuendásq. nobis uel inuitis offert, admirabili quidẽ uarietate differẽtes, sed constanti tamen & perpetua uicissitudine recurrentes.

1412 Non ab re itaque harum rerum caussa natos homines, magni philosophi dixerunt.

1413 At uerò θεωρία haec, quae & historia naturalis appellari potest, huius theatri admirabilem modò structuram, amplitudinẽ, &(ut uno uerbo dicam) Mundũ, siue κόσμον ostẽdit.

1414 Qua quidem in re contemplanda non uersabimur eorum more, qui nimis fortè sibi ipsis confisi, nequaquam, quod oportebat, res ipsas, earúmq. uires intuiti, id rebus ingeniũ, eásq. facultates, quibus donata re uidétur, indidere: sed ueluti cum Deo de sapientia contendentes, decertantésq., Mundi ipsius principia, & caussas ratione paene sola inquirere ausi, & quae non inuenerant, inuenta ea sibi esse existimantes, uolentésq., ueluti suo arbitratu Mundum effinxere, & corporibus, e quibus constare is uidetur, non eam magnitudinem, eámq. dignitatem, & uires, quibus praedita uidentur, sed quibus donari oportere propria ratio dictauit, largiti sunt.

1415 Nos uerò non adeò nobis confisi, & tardiore ingenio, & animo donati remissiore, & humanae omnino sapientiae amatores, cultorésq. (quae quidem uel ad summum peruenisse uideri debet, si quae sensus patefecerit, & quae e rerum sensu perceptarum similitudine haberi possunt, inspexerit) Mundum ipsum, & singulas eius partes, & partium, rerúmq. in eo contentarum passiones, actionésq. atque operationes intueri proposuimus.

1416 Ex illis enim rectè perspectis propriam singulis magnitudinem, ac speciem, ex his uerò ingenium, uirésq., & naturam cognita habebimus: ut si nihil diuinum, nihil admiratione dignum, nihil etiam ualde acutum nostris inesse uisum fuerit, at nihil ea tamen uel rebus, uel sibi ipsis repugnent umquã; sensum uidelicet nos, & naturam, aliud praeterea nihil, sequuti sumus, quae sibi ipsi concors, idem semper, & eodem agit modo.

1417 Tametsi Mundus uniuersus, primo aspectu intuenti, e Caelo, Terráq., & mari, tum ex aëre; qui, quod in Caeli, Terraéq., & maris medio spatium est, occupat uniuersum; constare uidetur.

1418 Attamen diligentiùs intuenti, nec aërem, nec mare magnas mundi partes esse, uideri debet, sed solum Caelum, & Terram solam.

Superio-

1419 Superiorem etiam aëris partem, & eum fortè, qui supra montium uertices continetur, Caelo apponendum esse tenemus, cum eóq. circumuolui.

1420 Qui porro reliquus sit (qui cum illo circumuolui nō uisus, penitus illi idem uideri non potest) ut ille, qui infra montium cacumina, nobis adflare uidetur, minùs est.

1421 Mare itidem, ut aër, quàm longissimè abest, ut magna Mundi pars poni posit. Nam ut nihil minùs Terra latum, minúsq. amplum sit mare, breuissimum certè est uniuersum, ut caeruleus in uniuersum eius color declarat.

1422 Quid! Terra mundi pars magna, ut ex aequo, Caelo comparari, aliquo modo posit? Quid ni!

1423 Non itaque ab aqua, & magis ab aëre exsuperatur? Minimé. Quinimmo omnes has, uel simul iunctas longè excedit.

1424 Tandem cum Caelo ne comparanda quidem? Apage. Quid si, materiae quantitate, ac eius pondere animaduerso, haud fortè immensum quid ab hoc illam exsuperari demonstremus!

1425 Caelum, & Terram non modò magnas mundi partes esse tenemus, sed primas, praecipuásq., non scilicet magnitudine tantùm reliquas exsuperare, sed robore etiam, uiribúsq.

1426 Caelum porro, & Terra, non modò ab aliorum nullo neque haec, neque illud constitui, sed ne immutari quidem quid uidetur.

1427 Terram tamen ipsam a sole solo immutari fatemur.

1428 At non uniuersam ipsam, sed suprema tantùm superficie.

1429 Caelum itidem nihil ab alio ullo umquam immutari, uideri debet.

1430 At eius modò opera, uel quae ualde ei similia facta sunt, proximáq., a terra sola immutari, tuemur.

1431 At uerò aër ipse, & mare, aquaéue omnes, & cetera omnia, quae in Caeli, Terraéq. medio sunt, & quae in profundioribus Terrae partibus a Terrae naturâ dimota, assiduè immutari, corrumpíq., & assiduè generari, uel cuilibet uideri potest.

1432 Quod ab uniuerso utrumque Caelo, a longè praesertim robustissimo effici sole, & a Terra etiam ipsa, in propriam cuiusque agi naturam, affirmamus.

1433 Caelum itidem, & Terram, non modò robore uiribúsq. partes mundi esse deprehendemus; sed dignitate quoque ipsas ceteras exsuperare.

MATERIA:

NATVRAE AGENTES, CALOR, FRIGVS.

1434 Omnia e duplici natura composita esse affirmamus, e remanente nimirum altera, ex altera pereunte.

1435 Non itaque totum corrumpetur, quod generatum est? maximé.

1436 Rides Peripatetice! sed audi alia: nec enim totum generari compositum, tenemus, nec idem totum corrumpi. Ringeris!

1437 Non datur igitur nec generatio, neque corruptio? Quid ni!

1438 At si eam dari concedamus, pugnantia non dicimus.

1439 Hanc autem naturam, quae accedit, recedítq., nequaquam unam esse, & uerè simplicem, tenemus, sed multiplicem, & ueluti in multas distinctam species.

1440 Quoniam autem speciem, atque ingenium generari, itidem eadem corrumpi significauimus, hanc eandem naturam accedentem, recedentémq. agendi ui; alias nimirum e propriis sedibus eiiciendi, interimendíq., & sese in illis generandi

randi

randi, ac entia omnino constituendi ui prae[illegible]mamus.

1441 Quam eandem, eadem remanente mole ac materia, inexsistente natura eiecta, sese indere, unde corruptio sequuta fuit, adserimus.

1442 Hanc eandem naturam, quae accedit, recedítq., incorpoream esse tenemus.

1443 Naturam autem, quae remanet, vnam omnino esse, atque eandem, tenemus.

1444 Quae itidem nullam agentem auersetur, neque odio habeat, sed aequè omnibus communis, propriáq., & quae illis omnibus aequè libens coëat congruátq.

1445 Ex hac itaque una eadémq. in omnibus exsistente, tam longè diuersissima constituuntur entia?

1446 Quinimmo ni ita esset, non quodlibet constitueretur ex quouis ente.

1447 Háncq. eandem nulla agendi, aut operandi ui praeditam esse tenemus, sed penitus inertem, desidémq. ac ueluti demortuam.

1448 Quo fit, vt nulla actio, neque ulla operatio, quae ab ente vllo edi videtur, huius sit, sed illius omnis, quae accedit, recedítq. naturae.

1449 Molem tantùm praestabit haec, ac corpus, & ueluti domicilium agentibus naturis, cui haereant, & in quo seruentur. Qua in re nobiscum etiam conuenit cum Ocello Lucano, ceteroqui in aliis aduersae tabellae.

1450 Naturas agentes perpetuò inter se decertare tenemus, nec id temere, ac nulla occasione.

1451 Quibus omnibus tametsi aequè communem, propriámq. fecimus alteram praeexsistentem, tamen non quouis dispositam pacto, quibuslibet conuenire naturis, sed propria sit, aptáq. oportet.

1452 Quod autem id totum agat, nihil aliud est, nisi natura accedens, materiam scilicet disponens.

Quae

1453 Quae se ipsam producens, proprio ingenio propriaéq. aptum facit subiectum operationi.

1454 Quae cùm sola potita fuerit, depelletur omnino altera, atque interimetur, impatiens societatis.

1455 Contrariae porro cùm inter se exsistant formae, mutuóq. in se ipsas agant, & mutuò a se ipsis patiãtur, intendantur oportet, remittantúrq.

1456 Magis itaque, & minus suscipient? Quid ni!

1457 At neque uerè exsistentes, & materiae immersas formas sub sensum cadere, & sensu percipi, uel Peripateticis negare licet.

1458 Calorem itaque, & frigus non modò in sese mutuò agere, & mutuò sese deturbare, atque interimere, & alterum alterius sedem occupare adserimus, sed & ab ipsis quaepiam fieri experimur.

1459 Tenuitatem itaque manifestè a calore fieri, & calorem insequi, & caloris propriam esse, uidere quiuis poterit.

1460 Quinimmo crassissima quaeuis, durissimáq. lapides, ferrum, & etiam Terra a calore summo in aquas, uaporésq. agi uideri a quouis potest.

1461 Vnde quaecumque occupat frigus, (uel tenuissimi uapores) crassescere, gelari compingíq. duriora omnino fieri crassioráve omnino uidentur.

1462 Crassitiem itaque ponimus frigoris opus, ut caloris propriam tenuitatem.

1463 Sed quid! nónne a calore itidem durescere quaedam, & crassescere uidentur multa? Videntur.

1464 Non itaque propria frigoris crassities? Nego.

1465 Lucem itidem caloris propriam, & manifestè calorem insequi, & a calore fieri tenemus.

1466 At non a quouis summam ipsam, & vigentem, purámue, sed a summo tantùm, & in tenui exsistente re.

1467 Lucis itaque naturae penitus repugnans frigus aduersum penitúsq. contrarium esse, sensus ipse declarat.

E qui-

1468 E quibus & albedo a calore constitui, uideri debet.

1469 Tum tenuitatis summè propriam, & perpetuò tenuitatem insequi, & ueluti a tenuitate emanare albedinem, confirmamus.

1470 Motum postremò & ipsum caloris summè proprium, & caloris opus, adserimus.

1471 Immobilitatem uerò contrà, frigoris propriam esse, & frigoris omnino opus, mobilia quae sunt, & quae immobilia, declarant omnia.

1472 Soli itaque calori, & frigori soli, agendi operandíq. uis tribuenda omnis uidetur.

1473 Cum uerò motus a re, cuius est, & a qua fit, diuersus manifestè appareat, cogitetúrq., quod non ita de calore fatendum est, ueluti caloris operatio quaedam erit, & sequela.

1474 Quare calorem motum natura, & dignitate praecedere, confitemur.

1475 Quid si etiam tempore eidem praeire confirmemus!

1476 Ob id itaque motum, caloris propriam esse operationem, dicemus; si quidem calorem perpetuò sectari, & ibi esse tantùm, ubi & calor, & a calore omnino, & solo eo edi uidetur.

1477 Propterea igitur calor adtenuare uidetur, quòd motu gaudens ipse subiectum sibi, quod subleuare, atque euehere possit, concinnat, tenue nimirum, leuéq.

1478 Quem eundem a materiae copia opprimi, moueríq. prohiberi, fatemur.

1479 Frigus contrà, crassa, quae occupat, facit; quòd immobilitate gaudens subiectum sibi quàm potest, ad motum ineptissimum constituit.

1480 Quare tenuitatem, ut propriam perfecti caloris sedis dispositionem, lucem uerò ut propriam perfecti caloris speciē, ac motum, ut caloris operationem, tuemur.

1481 Eodémq. pacto his opposita frigoris omnia.

1482 Ad uerso porro calore, & ab eodem etiam, & non semper agente, sed agere interdum cessante, uel e materia eadem, & e

diuer-

diuersa materia, uel difformi, a calore eodem, & eodē usquequaque agente modo diuersa constitui entia, tenemus.
1483 Quibus itaque diuersus inest calor, diuersa sunt entia? Diuersa: immo quibus idem quidem, eiusdémq. ordinis, & uel copiosior, uel magis exiguus ipse inexsistit.
1484 Igitur quae modica exsistens materia, quantumuis adtenuetur, amplificetúrq. & maiorem omnino occupet locum, naturam tamen agentem copiosiorem minimè suscipit, quàm ipsamet summè in angustam acta, & in minimam redacta molem.
1485 Multum itaque, in se ipsum nimirum collectum, calorem a se ipso exiguo, nihil fortè differre minùs, tenemus, quàm ab integro, robustóq. imminutum, languidúmq.
1486 Neque enim eum, qui sibi ipsi colligitur, calorem magis agere tenemus, quòd maiores, atque alias adsumat uires, sed easdem omnino.
1487 Diuersa etiam ipsa natura agente inexsistente, uel eadem specie conspecta, diuersa & contraria inde entia esse necesse, ponimus.
1488 Eò itaque ampliùs entia, & specie, & dispositione diuersa, a diuersa natura agente donata.
1489 Illud magis miraberis, eandem rem, & a calore insuper eodem, & non usquequaque agente, sed agere interdum cessante, in alia atque alia agi.
1490 Si igitur qui agere coepit calor, agere interdum cesset, minimè, ubi iterum agere incipit, quam fecerat, nactus dispositionem, sed uel ab alio calore, uel etiam frigore longè ab ea factam diuersam, non idem ampliùs subit, nec eodē ampliùs adtenuat modo, neque idem constituit ens, sed longè ab incepto diuersum.
1491 Quaedam itaque uidere quiuis potest, quae ueluti ab utraque contraria natura per uices agente, constituta uideri possint.

Vtras-

1492 Vtrasque ergo naturas in ente quopiam erit uidere? Minimè gentium.

1493 Non itaque quòd utriusque simile ingenium, & utriusque uis, & natura omnino utraque ente in ullo, similare quod sit, & uerè unum, spectetur, aut inesse omnino possit.

1494 Si tamen in multis, utriusque spectari actionem, dixerimus, pugnantia non loquemur.

1495 Neque negamus, frigus a calore, & calorem a frigore, nullo temporis momento, deturbari, & quod exsuperat, deiecti interemptíq. locum subire, occuparéq.

1496 Negamus uerò, calorem, crassum quod est, tenue facere; uel constringere frigus, & crassum, quod est tenue facere ilico; sed & calor, & frigus diu agant oportet.

1497 Qui porro calor, quantúsue; quod nimirum caloris robur, & quae eius copia; quam Terram, & quae entia in qualia inuertat, minimè inquirendum uideri.

1498 Quo fit ut caloris uires, seu calorem ipsum ueluti in gradus partiri, neminem distinctè posse existimemus.

1499 At qui, quantúsq. calor, quae entia, qua donet dispositione, intueri licebit.

1500 Et quod de singulis caloris differentiis, roboris, atque copiae dicimus, idem de materiae conspissationis diuersitate dicendum erit.

1501 Itaque crassitiei, tenuitatísq. discrimina omnia innotescere non posse, tenemus.

1502 Vtriusque tamen propriam esse latitudinem, qua ueluti terminis quibusdam diuidatur, non negamus.

1503 Quoniam materia ipsa per se non alio a se ipsa differre potest, quàm quòd sibi ipsi uel magis unita exsistit, magísue in se ipsam conspissata, & in angustum acta, uel minùs; crassitiē tenuitatémq. molis materiáue, & materiae omnino dispositionem esse, tenemus.

1504 Et crassitiem quidem, summam materiae conspissationem

exsistere, tenemus.
1505 Tenuitatem uerò contrà, summam materiae explicationẽ extensionémq. atq; e amplificationem.
1506 Materia ergo tunc uerè crassa facta esse uidetur, cùm adeò in se ipsam conspissata est, atque in angustum acta, ut ampliùs conspissari, inq. angustius agi minimè posit.
1507 Et quae item nihil contingenti, prementíq. locum praebeat, & nihil umquam omnino cedat.
1508 Quae itidem si superpositae opprimentísq. molis pondus sustinere, aut impulsum ferientis reiicere non posit, disrumpitur.
1509 Haec eadem ne luci quidem aditum praebet.
1510 Tenuis uerò contrà, moles uidetur, ueluti in corporea facta, nihil contingenti reniti, & ne percepta quidem illi cedere.
1511 Haec eadem luci, quantacumque illa sit, transitum praebet; nihil eam uel retardans, uel robur imminuens, aut colorem foedans.
1512 Quare quod in seipsum quid cogi posse uidetur, magísq. conspissari, id crassum in tenue agi, & tenuitatis omnino adsumere ingenium, tenemus.
1513 Vnde quod flectitur, non omnino crassum esse tenemus.
1514 Neque itidem quod extenditur, dilatatúrq.
1515 Neque propterea ullam crassitiem nobis facere licet.
1516 At quaeque in angustius a nobis tamen agi uidentur; inexsistentis tenuitatis expressione, uel alia caussa.
1517 Frigus enimuero solum crassitiem moliri potest.
1518 Neque igitur tenuitas ulla in crassitiem agi uideri debet.
1519 Quid! nónne aqua, quae tenuis, cùm gelatur, crassa fit? Minús.
1520 Limites itaque ac termini, quibus crassities ad tenuitatem proficiscatur, philosopho sunt noscendi: & is primus uideri potest, quo lentor, flexibilitásq. contineri uidetur.
1521 At gradus, quibus a crassitie ad tenuitatem itur, innumeros

ros,& longè illos minutiſsimos intueri,explicaríue impotentibus, lentor omnis, omníſq. flexibilitas, uel ualde a ſe ipſa differens,una poni poteſt.

1522 Flexibilia uerò,lentáq. omnia ſint,quae aegrè quidem,at flecti tamen,& in ſe ipſa cogi,& comprimenti cedere apparēt.

1523 Secundo uerò ſpatio, a lentore diuerſa,mollities omnino ponenda uideri poteſt.

1524 In tertio uiſcoſitas atque γλισχρότης.

2525 Viſcoſitati fluor ſuccedit;& multò quàm uiſcoſitas,promptiùs contingenti cedens,& luci peruius tranſſpicuúſq.

1526 Quinctum uerò, atque extremum ſpatium,tenuitatem occupare tenemus.

1527 At uerò ſi quid naturae agentes commune habent, in eo entia itidem ab illis conſtituta, conuenire inter ſe congrueréq. oportet.

1528 Ceterùm ſi ſeruandae ſint naturae,non ſummum modò illis conſeruationis appetitum,ſummúmq. propriae deſtructionis odium indi oportuit,ſed cognata inſuper ſimiliáq., & contraria diſsimiliáq. dignoſcendi uim.

1529 Calori igitur, & frigori, propriae conſeruationis, & propriae deſtructionis ſenſum traditum eſſe tenemus.

1530 Eo etiam omnia entia donata eſſe meritò, tuemur.

1531 Quod inde facilè intelligere licet,quòd propriae interdū naturae uim inferre entia uideamus ; mouentur nimirum, quae immobilia ſunt, & mobilia ; ſi quidem naturali, inſueto certè motu.

1532 Agentia rerum principia contraria oportere eſſe, neceſſariò ipſi itidem Ariſtoteli uiſa eſſe tenemus.

1533 Quin & ipſi itidem,oppoſitio unica ſatis eſſe uiſa eſt,neque alia addenda eſſe.

1534 Non enim aliorum entium,uel ſi nobiliora ea ſint,amplioráq., ſed eorum omnino principia, quorum conſtitutionē, & conſtituentes omnino naturas quaerimus,afferenda ſunt.

1535 Rerum itaque naturâ cōſtantium,hoc eſt,ſenſibiliū agētia

principia inquirentibus, si quidem plura ea uisa sint, & quarū alia aliis ampliora sint, & contineant; angustiora uerò alia, & quae contineantur prima omnino, & quae magis contineāt, principia ponere debemus, ut Aristoteles.

1536 At sensibilia omnino, agentiáq. afferenda sunt; a quibus nimirum, res, quarum principia inquirimus, cōstituentur; qualia non posuit Aristoteles.

1537 Nec uerò uerendum est quidquam, ne, iis positis, ullum nos excipiat incommodum, uel ne omnium, quae eis eueniunt, caussas pulcherrimè reddere liceat.

1538 Vniuersalissima igitur arbitratus Aristoteles oportere esse contraria, quae principia ponuntur, & a nullis contenta, at ipsa cetera continentia, formam ipse attulit, & priuationem, quae contraria omnia continere Aristoteli uidentur, nobiliora illa quidem, praestantioráq., ignobiliora haec, & deteriora.

1539 Nequaquam igitur ut non ens posita Aristoteli priuatio uidetur, sed ut natura quaedam, & ipsa deteriora contraria cōtinens, & omnino ut deterius contrarium.

1540 Quod etiam antè Aphrodisiensis animaduertisse uidetur.

1541 Nec uerò illud obstet quidquam quòd paullò pòst priuatione, vt non ente, ad rerum generationem uti uidetur Aristoteles.

1542 At ut horum etiam quid reiiciant, illud certè nemo non admittat, probétq., & Aristoteli placitum non fateatur, a duobus scilicet primis contrariis substantiam, in qua generationes, & corruptiones fiunt, detineri.

1543 Id porro uel Ocelli, uel Hippocratis, uel Aristotelis, uel cuiusuis testimonio non aliud esse potest, nisi summum propriae naturae robur, puritásq., quibus perpetuò, qualia sunt ipsa, seruētur, nihil ab aliis ullis passa umquam, aut immutata quid, nisi a se ipsis mutuò, & ibi id modò, ubi eorum alterum mole exsuperet, quantitatéve alterum.

Eorum

1544 Eorum nullum omnino ab alio constituatur, at singula se ipsa constituant, generéntq., alia omnia ab ipsis patiantur, im mutentúrq., & corrumpantur, ínq. alia agantur.

1545 Nec quòd Hippocrates ratiocinatus est, si unum exsistat
„ homo, dicens, nullo umquam tempore dolere posset, nobis
„ obesse uideri potest.

1546 Ens enim quoduis uel summè unum, summéq. similare, uel a natura eadem, a qua constitutum est, innumeris paene modis pati potest, immutaríq.

1547 Nec negamus quin dolor a propria natura sit recessus, uel eius potiùs sensus.

1548 Quid! nónne quattuor humores insunt nostris corporibus? Minimè, sed innumeri paene.

1549 Plures ergo biles, plures & pituitae, & specie, naturáq. inter se differentes.

1550 Quinimmo nec eorum ullus, dictorum corporum ulli, si talia sint, qualia Hippocrati ponuntur, similis uideri potest.

1551 Atra siquidem bilis, uno colore excepto, summè in reliquis a Terra dissidet, calida omnino, fluidáq.

1552 Et pituita item, quae praesertim corpori commoda est, summè aquae dissimilis Hippocrati uideri debet; nisi aqua frigida iis non sit.

1553 At neque uel igni flaua bilis, uel aëri sanguis similis uideri potest.

1554 Quinimmo proprias positiones intuenti Aristoteli, duo tantùm prima corpora uideri debuisse, nemò infitiari poterit.

1555 Quo pacto? Hoc quidem.

1556 Nónne prima contraria, in natura quauis, quàm longissimè a seipsis posita esse affirmat, in medio eadem quidem, at imminuta, & sibi ipsis commista? Ita sanè.

1557 Ceterùm tenuitatem ui agendi ulla praeditam esse, minùs admittemus.

Qui-

1558 Quinimmo nihil in ſeſe agere tenuitas, craſſitiésq. contraria uiſa, nec ſe ipſas conſtituere uideri debent.
1559 Nec, ſi tenuitatem albedo in ſequi uidetur, illius haec, ſed eius omnino, cuius & tenuitas, opus uideri debet.
1560 Nec, ſi quae ſummè ſunt tenuia, prompta illa ad motum uidentur, motum a tenuitate manare confitebimur.
1561 Quinimmo eius naturae opus tenuitas eſſe uideri debet, cuius proprius exſiſtit motus.
1562 At lux ſaltem in tenebras atque obſcuritatem agere uidetur; aërem nimirum per ſe inuiſibilem, obſcurúmq., uiſibilem facere, atque illuſtrare.
1563 Nos uerò lucem id agere negamus.
1564 Et quoniam nil aliud lux eſſe uidetur, niſi uiua, & uigens, & per ſe uiſilis albedo.
1565 Sic albedinem, per ſe non uiſilem, imminutam, & languentem lucem eſſe affirmamus.
1566 Albedo itaque non agit in nigredinẽ? Immo nigris quantumuis appoſita alba, nihil in illa agere, immutaréq.
1567 Idem motum in immobilitatem ullo pacto agere, uel contrà, omnino negamus.
1568 Humiditas item certè nulla, quantumuis infuſa, & immorata quantumuis, rem nullam in uapores, aut in aquã, tenuius quid, humidiúsq., inuertet umquam.
1569 Nulla igitur humiditas humiditatem generabit ſummã, quouis agens modo, at ſolus illam facit calor.
1570 Manifeſtè enim quaecumque exſuperat calor, tenuia facit omnia, & in uapores, fumúmq. inuertit.
1571 Liquefacit ſaltẽ, emollítq. quae non penitus ſuperat, quae humoris propria eſſe omnia, ipſi in primis Ariſtoteli uidẽtur.
1572 Vbique igitur humiditatem, tenuitatémq. facere uidetur calor, & craſſitiem auerſari.
1573 Frigus cõtrà, craſſitiẽ, ſiccitatémq. inferre ubique, & tenuitatem, humiditatémq. undique deturbare.
1574 Et hoc nõ a sẽſu magis, quàm ab ipſo habemus Ariſtotele,
dum

dum alienorum disgregatiuum, similium congregatiuum calorem adserit, frigus contrà, omnium congregatiuum.

1575 Neque tamen omnia a calore secernuntur; non si quidem pix a cera, sed illi immiscetur magis.

1576 Nusquam tamen, ubi calor non adest, esse posse humiditas Arist. uidetur, & ibi nulla esse penitus, ubi nullus adest calor.

IGNIS, CAELVM, SOL, STELLAE, LVX: TERRA.

1577 Entia omnia, si eorũ constitutionem animaduertere uelimus, a sole ipso, atque e Terra constitui omnia, sentimus.

1578 Summũ Soli calorẽ, summámq. albedinem, & lucem, & sũmam sese mouendi inesse uim, uidemus.

1579 Terrae contrà, summum frigus, summámq. obscuritatem, & summam sese mouendi impotentiam adesse, animaduertere debemus.

1580 Vnde fit, ut entibus reliquis nõ alia res ulla, sed calor omnibus, uel frigus, & lux, aut obscuritas, & sese mouendi uel facultas insit, uel impotentia.

1581 Quibus omnibus, Solis inquam, Terraéq. naturas, species, & facultates, non & ipsas summas, integrásq. inesse pronũciamus, sed remissas omnes, imminutásq.

1582 Nullum itaque aequè Soli calidum erit, nec lucidum, nec mobile? Nullum.

1583 Nullum itidem aequè Terrae frigidũ, nec obscurum, nec immobile affirmare audebis? Nullum.

1584 Quid, si corpus summè lucidũ, summè calidum, at mobile tibi praebeam? Modò unum excipito, nullum inuenies.

1585 Vt quod dictũ est, Caelũ, & Terrã ipsã ceteras anteire dignitate, easdem ueluti tempore omnibus praecellere, dicere non uereamur, qua quidem in re sacrae nostrae, & diuinae litterae nobis fauere uidentur.

1586 Caelum, & ipsum praesertim robustissimum solem, Terram ipsam immutare assiduè cùm uideamus, in res longè minùs quàm ipsa est, inuertit.

Hoc

1587 Hoc est minùs frigidas, minúsq. crassas, minùs nigras, obscurásq. atque minùs immobiles.
1588 Itidem & in ualde etiam similes cognatásq. Caelum inuertit eandem; in tenuissimos nimirum, albissimósq., & bene calidos, & bene mobiles uapores.
1589 Quid! & in ipsum quandoque etiam ignem.
1590 Terra contrà, tametsi, ob generationem, minor facta, & minoribus donata sit uiribus, tametsi non in Caelum ipsum omnino, in Caeli tamẽ opera omnia, uel quae summè Caelo, Solíq. similia effecta sunt, proximáq., deperditas omnino sui partes, & in Caeli naturam agi coeptas, recuperat assiduè, sibíq. ipsi restituit uniuersas.
1591 Caelum itaque, & Terra in sese mutuò agendi ui praeditũ uideri debet.
1592 Caelum itaque nõ est simplex, neque minùs Terra? Quin immo nec ipse sol, aut ens aliud omnino ullum, uel summè similare, summéq. simplex, atque unum conspectum, uerè simplex, ueréq. unum esse tenemus.
1593 Palàm itaque esse tenemus, solem ipsum, & Terram agere, & non mole, & corpore, sed illis naturis, quae generari, ac corrumpi uidentur.
1594 Caelo uerò, Solíq. tenuitatem, albedinem, lucem, mobilitatémq. inesse, nemo sit qui dubitet.
1595 Quae itidem, & in entibus, quae generantur, corrumpuntúrq., generari, corrumpíq. apparent.
1596 Nihil igitur uel summè mobile Caelum, & perpetuo, perenníq. circa Terram circumuolutum motu, eandem mobilem facit umquam? Nihil, nec ipsa aërem immobilem.
1597 Non itaque agit Terra? Immo quàm maximé. Rides!
1598 Cùm nihil penitus Caelo inesse, nec agere aut operari Caelum uidetur, nisi quae caloris propria sunt, & nihil Terra habere, neque agere aut operari, nisi quae frigoris propria sunt, & quae agit operatúrq. frigus; a calore Caelum, & Ter-

Terra a frigore conſtituta uideri debent.

1599 Itidem nullam aliam nec Terrae, nec Caelo ineſſe agẽtẽ, aut operantem naturam, tenemus.

1600 Caelum itaque non loco magis, quàm ſpecie, agendíq., & operandi ui, a Terra diſſidere tenemus.

1601 Quinimmo ſummè omnino terrae contrarium, oppoſitúmq., a contraria omnino Terrae natura conſtitutum uideri debet.

1602 Reliqua uerò entia nihil omnino habere, quod eorum alteri non inſit, quod eorum alterius non ſit; ſed uel Caelo omnia, uel Terrae ſimilia, uel talia omnino, quae utriuſque media, & ab eorum omnino altero, at non penitus exſuperante, neque integro, ſed ab altero imminuto, paſsóq. effecta uideri poſſint.

1603 Vnde fit, ut neque ente in ullo natura alia agens agere, aut ineſſe omnino uideri poſſit, niſi ea modò, a qua effectum id eſt, conſtitutúmq.

1604 Item nec ab alia ea pati uidetur, niſi uel a contraria, uel a ſimili.

1605 Natura itaque agens quaeuis, quae agere numquam ceſſat, ſimiles, cognatáſq. oppugnat, deturbátq.? Modò nũquam proprii ingenii obliuiſcatur.

1606 Cum ergo Caelum in Terram ágat, in propriam illam inuertat naturam, longè interea plurima, longéq. diuerſiſsima conſtitui entia, tenemus.

1607 Caeli itaque, ac Terrae naturae nequaquam indiuiſibilibus praeditae ſunt uiribus.

1608 Nec caloris, nec frigoris ſummi, integríq. uires ſtatim uel integras conſtitui, uel penitus perire, ſed paullatim generari, & paullatim imminui tenemus.

1609 Quo fit, ut uerè dictum ſit illud, naturae cuiuſque agentis progreſſus, non ſaltus, ſed quaſi fluxus quidam exſiſtat.

1610 Priùs itaque quàm in Caeli, Solíſq. ſpeciem Terra agatur,

tur, multas interea ſpecies, naturáſq. adſumat multas, & in entia inuertatur longè plurima neceſſe eſt.
1611 Quoniam ſol Terram paullatim a propria dimouet ſubſtantia, eámq. paullatim ſuiipſius natura, ac diſpoſitione, ſpeciéue donat; quae ab illa minùs diſtant, priùs ex illa conſtitui, & haec poſtea in ea agi, quae Soli, Caelóq. proximiora, ac ſimilia magis ſunt, tenemus.
1612 Malè itaque antiquiores, in ipſos primùm uapores eam inuerti aeſtimauerunt, e quibus qui egreſſum nacti ſunt, ſublunarem conſtituerent aërem, reliqui uerò in Terrae concauis retenti, & a Terrae frigore gelati, in lapides concreſcerent.
1613 Paullatim, itaque meliùs eſt ut dicatur, propriis Terra ſpoliata diſpoſitionibus, & iis uiribus, iíſq. donata ſpeciebus, quae inter Terrae, Caelíq. naturam, ſpeciémq. mediae ſunt, multa omnino alia interea facta in ipſum poſtremò agi aërem.
1614 Nec uapores in metalla cogi priùs oportere, non in medias priùs res actos, non conſpiſſatos ipſos, in fluores nimirum.
1615 Neque e uaporibus, & non omnibus; ut Ariſtoteli placuit; ſed ex iis modò, qui ex aquis Terrae incluſis educuntur, aquas generari, uerum eſt.
1616 Porro diuerſa, & longè plurima generata a ſole entia, in Terram agente, non ſolùm quòd a ſole longiſſimè dimota, longéq. diſſidente ſit ingenio; ſed ampliùs fortè, quia nõ ueluti ordine quodam, & quadam ſerie, in tenuiora aſſiduè, ſed ueluti retro agi quaedam, & craſſiora, uel etiam frigidiora fieri uidentur.
1617 Inde etiam fit, ut haec ita fieri exiſtimemus, quòd ſummè uario, ſumméq. difformi calore agat ſol in Terram, uariè ab ipſo iam paſſam, uariéq. immutatam.
1618 Quapropter ex Solis actione Terram non ſummè modò ſibi ipſi diſſimilem factam tenemus, ſed bene etiam difformem.

1619 Sol itaque non in eandem assiduè agit, sed agere interdum cessat.

1620 Cedit igitur locum Terrae sol ? Cedunt sibi inuicem. Rides!

1621 Ob ídq. si eius opera non destruat, corrumpátq., at retardet, atque impediat, & ueluti retro, aut in diuersa agat.

1622 Sol igitur huc, atque illuc actus, & pro directo obliquus factus, uiribus agit longè diuersissimis.

1623 Solem itidem non tantùm proprio, atque ex ipso emanante calore, sed eo etiam, & nihil fortè minùs, quem terris indies indit, & iamdiu indidit, agere tenemus.

1624 Quem quoque, non solùm in Terrae partes profundiores, & quae a supremis occultantur, non iisdem uiribus agere, sed neque in eius superficiem omnem, aut in proximiores etiam, & contiguas eius partes uniformiter agere censendum.

1625 Sanè nobis, uel ipsa(ni fallor)luce clariùs,quae fiunt,a simili fieri intueri licet; & uel ex iis,quae dicta sunt, satis reor conspectum id esse.

1626 Quo fit ut omnia a simili fieri, rectiùs nobis, quàm antiquioribus uisum sit,uideri possit.

1627 Quinimmo non ea tantùm a simili constituta uideri debent, quae eandem constituentibus, externam speciem nacta sunt, sed ea itidem, quae specie quidem diuersa, dissimilíq.

1628 Summè itaque calidus sol, at in frigidissimam, crassissimámq. agens Terram, & nequaquam, quas inuertit Terrae partes, in solem inuertit omnes, at omnes a Terra dimouet; calore uidelicet quodam omnes, & quadam donat tenuitate; propriae nimirum substantiae,& propriae speciei participes facit.

1629 Quid! est & quas bene etiam calidas, & bene tenues facit; ut quas uel in calidissimos, tenuissimósq. agit uapores.

est & cùm uel in ipsas animalium animas.
1630 Primorum porro corporum alterum in altero contineri non ab re oportuit.
1631 Sphaericum itaque Mundum fieri uniuersum, non in longum extendi, directúmq., at in altera ipsius parte Caelum locari, Terram in altera: Quod noua ratione factum esse explicabimus.
1632 Itidem non ab re Caelum ipsum non iisdem uniuersum, nec magnis donatum uiribus, ponimus.
1633 Ob id stellis reliquis, & ipso longè maximo, longéq. lucidissimo, atque unico distinguendum fuit sole, a quo illustrentur omnia, & omnia etiam uiuificentur.
1634 Quibus omnibus, & Soli ante omnes, duplex adsignatus esse motus non incongruè uideri potest, licèt sensu nõ probetur; cùm Astrologis tamen aliàs speculabimur.
1635 Qua ratione factum est, ut neque sibi ipsi copulatum, unitúmq., & unum omnino esse oportuerit Caelum, sed ueluti in plures diuisum distinctúmq. orbes.
1636 AEternum uerò utrumque agens principium, atque utrũque primum corpus esse, iam facilè apparere poterit, si alterũ ab altero, summè etiam contrario, oppositóq., corrumpi non uideamus.
1637 At uerò quae propriè generant, non extrahunt de potentia in actum inexsistentes formas in materia priùs; sed uerè illas generant, praeexsistentes nihil, ac se ipsas amplificãt, multiplicántq., & proxima propria afficiunt natura.
1638 Rectè quidem Aristoteles ignotam Caeli substantiam ab operatione uenatur, & Caeli ad sublunaria differentiam, ab horum ad illius operationem, discrimine. unius siquidem substantiae, ut eidem uidetur, unica est operatio, & substãtia quaelibet suam propriam habet.
1639 Rectè itidem & illud; factus, inquit, ignis statim mouetur; propriam nimirum operatur operationem, & dum exsistit ignis, moueri numquam cessat, & moueri prohibitus;
pro-

propria uidelicet prohibitus operatione;nihil extinguitur ſegniùs,quàm ſi propria priuetur natura.

1640 Propriam uerò operationem eam uideri debere, quam entium uniuerſitates in proprio loco, propriáq. exſiſtentes natura,& quam perpetuò,atque inceſſanter operantur, & qua oblectantur,ſeruantúrq.

1641 Non omnino propria,quam uel entium partes a propria abſtractae uniuerſitate,uel uniuerſitates etiam ipſae, at a proprio loco,propriáq. operentur dimota natura.

1642 Aliena omnino ſit, contrariáq., qua corrumpi uidentur entia.

1643 Ceterùm rectè diuerſa a ſublunarium Caeli ſubſtantia Ariſtoteli poſita ſit,ſi Caeli motus; Caeli nimirum operatio a ſublunarium operatione diuerſa appareat.

1644 Quid ſi in iiſdem itidem uniuerſis,nihilq.paſſis,ut in Caelo factum eſt,non in partibus a propria uniuerſitate abſtractis,conſpecta uiſa ſit!

1645 At ſublunarium Terra immobilis,atque immota ſemper, & ſeruari immobilitate,corrumpiq.a motu apparet.

1646 Terra igitur penitus Caelo contraria,ipſi in primis Ariſtoteli uideri debet.

1647 Eidem uerò quàm ſimillimus ſublunaris aër, Terrae contiguus haud penitus diſſimilis.

1648 Necuerò is tantùm,ut Ariſtoteli placuit, proprius ignis uideatur motus,quo rectâ ad proprium locum, & ad propriā fertur uniuerſitatem,& non circularis itidem.

1649 Subſtantiae itaque uni, & corpori uni nequaquam unus modò dandus eſt motus,ſed eius,quod mobile eſt,aequè proprii ſunt omnes.quòd uel animalium ſpiritus corpori incluſus,motus omnis auctor exſiſtens,nobis oſtendit.

1650 Quid! ignis non aequè omnibus ſeruari,& uiuificari, accendíq.uidetur omnibus!

1651 At rectus tantùm,& ad ſuperna proprius eſt, naturaliſq.; reliqui ergo alieni,contrariiq.,aut diuerſi.

Qui-

1652 Quinimmo non ſcilicet motui ulli ullus uel contrarius eſt, uel diuerſus motus.

1653 Quid igitur contrariũ motui? Immobilitas, immotióq. ſi dicere liceat, uel Ariſtoteli ipſi.

1654 Non ergo proprium eſſe ignis motum, quo momentaneo minima, & uix ſenſibilis ipſius particula, alieno genita in loco, ad proprium locum, & ad propriam fertur uniuerſitatem, & non illum, quo perpetuo perenníq. uniuerſus ipſe in ſe ipſo, & in proprio circumuoluitur loco.

1655 Qua in re Pletho nobiſcum facit.

1656 Nec uerò uerendum eſt quidquam, ne tanta mole exſuperans calor, frigus e materia omni deturbet, & eam ipſe occupet omnem.

1657 Ignis uerò ipſe humidus rectè cuilibet uideri debet; & non ſolùm humidus, ſed aëris etiam ipſius, & rei cuiuſque humidiſſimus. Rideat Peripateticus; at non irrideat, quia ita Ariſtoteli uideatur etiam, eſt neceſſe.

1658 Licèt non quidem humiditatis, ſiccitatiſq. rationem exponenti Ariſtoteli, quae illis eueniunt, & quae illae pati aptae ſunt, afferenda erant, ſed quid ipſae omnino ſunt, earúmq. ſubſtantia; a qua & conſtituuntur, & ut quae pati uidentur, pati poſſunt, & ab iis, quae pati non poſſunt, immunes ſint; ponenda.

1659 Tamen ſi paullò attentiùs intuitus illas foret, dubio procul, quae nobis uidentur, Ariſtoteli itidem conſpectae forent.

1660 Nec enim alia ratione a ſe ipſa diuersè materia diſponi poteſt, niſi quòd uel ſummè in ſe ipſam conſpiſſatur, uel ſummè expanditur, extenuatúrq., uel medio quodammodo afficitur, unde mollities, uiſcoſitáſq.

1661 Quòd ſi magis illas aperire, placitum foret, poterat utique humiditatis loco tenuitatem ponere, & pro ſiccitate craſſitiem.

1662 At esto; dentur haec Aristoteli; si iuxta ea, quae humido attribuit, siccóq., consideret quis, humidum ignẽ pronũ ciet, necesse est.

1663 Aristoteli in primis sublunarium omnium ignis, purus praesertim ille, syncerúsq., qui Caelo subiacet, sublunarium omnium mollissimus, maximéq. cedens, humidissimus uideri debet, non aliis modò omnibus, sed aëre etiam ipso tenuior ipsi uisus, eáq. ratione aërem tenuitate excedere, qua aër aquam, & aqua Terram.

1664 Nec, si propria certè figura igni danda est, Pyramidalis ea sit, sed sphaerica omnino.

1665 Terrae porro summè oppositum, summéq. contrarium esse ignem, quae utrique insunt omnia, & ipsa in primis utriusque manifestat operatio, quibus omnibus summè a Terra dissidere uidetur ignis, & nihilo paene quàm Caelum minùs, Caelo similis, cognatúsq.

1666 Itaque ut summè crassa exsistit Terra, summè opaca, summè nigra, obscuráq., & summè denique immobilis sit oportet.

1667 Ignis contrà, summè sit tenuis, transspicuus; nihil itaque caelestium adspectum adimat, uel immutet omnino, summè albus purus ipse, nulliq. commistus fumo, summè lucidus, in se ipsum conspissatus collectúsq., & summè denique mobilis.

1668 Iis porro, quae dicta sunt, Terrae ignem opponi, ipse manifestat sensus.

1669 At neque ipsi in reliquis fortè; sed in eo tantùm Peripatetici dissentiant, quòd & Terrae interdũ albedinẽ tribuũt. quid si quandoque nigredinem!

1670 Quinimmo non iuxta leuitatem, & grauitatem, & iuxta contrarios tantùm motus, Terra igni opponi, Aristoteli uidetur, at iuxta motum itidem, quo perenni gaudere uidetur ignis, atque immobilitatem, in qua perpetuò quiescit Terra; quae maior oppositio uidetur.

Quo-

1671 Quoniam igitur id omnino a primis corporibus secunda differunt, quòd haec non ab integris, purisq., ut illa, constituta naturis; sed imminutis, languentibúsq. uiribus praedita sunt; quid illorum singula in reliqua agerent, & quid a reliquis paterentur, uidendum Aristoteli erat.

1672 Ignis uerò, & Terrae non actio tantùm, summas eis inesse uires, sed passio itidem, seu potiùs ad patiendum ineptia manifestat.

1673 Quoniam igitur alia inuertunt omnia, ab aliis ipsa nullis inuertuntur, rectè proxima corpora Aristoteli posita uideri possunt.

1674 Idq. tantùm in iis Homini peccatum, quòd aquam nullo negotio, Terram uerò longè aegerrimè ab igne inuerti intuitus; hanc ab altero igni communi principio, illam ab utroque opposito constitui, statuerit. quod etiam Galenum in errorem deduxit.

1675 Quod item ex igne, & aqua Aristoteli Terra, ac ex aëre, & Terra ignis fiat, neque Aristoteles, reor, nec suorum ullus, eo rum alterum factum conspexit umquam.

1676 Et si (quod rerum naturam inquirentibus faciendum omnino est) proprias positiones tantisper missas faciant, & res ip sas, earúmq. naturas, & actiones, passionésq. inspiciant, fieri omnino non posse, manifestum & ipsis fiet.

1677 Quoniam non aliud omnino uideri ignis potest, nisi tenuitas summo calore praedita; Terra item & ipsa non aliud, nisi crassities uideri potest, cui summum inest frigus.

1678 Vnde si quid agere ignis, & non calore, & si quae, non frigore, Terra Peripateticis uidetur, ille tenuitate id agere, haec autem crassitie, uideatur necesse est, & uidetur omnino.

1697 At uerò, ut ex igne & aqua Terra, atque ex aëre & Terra ignis fiat, numquam reor Peripateticorum ulli uideri poterit.

1680 Corpora igitur quaedam prima esse, & ex iis reliqua omnia fieri, rectè antiquioribus omnibus, & ipsi itidem Aristo teli positum uidetur.

1682 At

1681 At illud uidendum, num quomodo nobis poſitum eſt, rectiùs, an ut antiquioribus uiſum eſt.

1682 Nobis enim a primorum altero exſuperante, ſecunda conſtituuntur.

1683 Quae igitur ſingula natura unica, ueluti & prima, conſtituta ſint, ídq. a primis differant tantùm, quòd non integra, uigentéq. natura, ſed imminuta, remmiſſáq. ſunt.

1684 Primorum igitur corporum formis, & conſtituentibus etiam naturis ab Ariſt. inuentis, & illorum, & rerum omnium, efficientia itidem principia inuenta eſſe uideri debuerunt.

1685 Eſto; & ſi ita uis, proprium aëris calorem perficiat Caeli motus; ut Peripateticis placet; & prima corpora omnia; calor certè in aëre factus, motum modò a Caelo ſuſcipiente aliud nihil, aëris proprius, non ab eo diuerſus, nec eo erit praeſtantior.

1686 Rectè quidem Ariſtoteli, quae ratione in agendo nulla, nulláq. arte uti, & quae pati & ipſa poteſt, ea uerè efficiens rerum cauſſa eſſe poſſe uiſa non eſſet.

1687 At contrà, quaecumque conſtituta ſunt, corrumpi uiſa, interiréq., pati ipſum manifeſtant.

1688 Non itaque ex ſe ipſo ratione uti, menſuráq. uideri debet.

1689 Ecquid enim agentis ſubſtantiae ingenio conueniat minùs, quàm agendi uim, propriam ſcilicet naturam reprimere, cohiberéue, & ſe ipſam amplificandi ſtudium deponere, atque appetitum!

1690 Quod igitur ſi aeternum apparet, nihil paſſum umquam, uel Mundi conſtructione immutata quidquam, uel rerum quarumuis generatione, conſtitutionéq. nil obſtet.

1691 Et ſi menſura, & ratione agere uidetur, ſumma omnibus ratione affectis, menſuráq., non ab ipſis fit contrariis agentibus principiis.

1692 A quo igitur? Ab illorum moderatore, & uerè omnium principio, nequaquam tamen illorum immutante naturam, &

uices reprimente, cohibentéq. umquam, ſed alia longè diuiniore ratione, & modo.
1693 Vt licèt effuſis uiribus, & quantum poſſunt agant, ſeſe tamen cohibere & ueluti menſura uti uideantur.
1694 Neque igitur ſeſe mutuò perdant, aut imminuāt omnino quid; at longè plurima conſtituant, longéq. pulcherrima, & eadem ſemper ratione omnia.
1695 Huiuſmodi, DEVS ipſe optimus maximus, non obliqua Solis latio, uideatur.
1696 Illa igitur delatus ſol, terras illuſtrat, fouétq. omnes, & omnes animantibus omnibus, & humano etiam generi commodas praebet ſedes.
1697 At neque utrumque agens principium obliquae lationi attribui poteſt.
1998 Quae igitur, quoniam interire, corrumpíq. uidentur omnia, Soli oppoſitum inueniendum erat Ariſtoteli, cōtrariúmq. ens, quod a contrario conſtitutum principio, & contraria praeditum natura, contrariis omnino agens uiribus, quae a ſole cōſtituta ſunt genitáq., perdat, corrumpátq.
1699 Illud item, in quod agens, conſtituat illa ſol.
1700 Ridiculum igitur, accedenti, directóq., ſolem recedentē, obliquúmq. facere contrarium.
1701 Falſum eſt itaque, ſolem accedentem, generationis; recedentem uerò, corruptionis cauſſam, dicere.
1702 Quid, ſi quò magis recedit ſol, eò etiam generare magis teneamus!
1703 Vbi itaque diu directus imminet ſol, nullus ibi, aut perrarus emanat fons, planta nulla exoritur, quae paſſim in temperatis fiunt regionibus, & in humidioribus ampliùs, mollioribúſq.
1704 Nec uerò huiuſmodi aequinoctialis appareat regio, ut ſcilicet torreat ſole directo, quinimmo tēperata, & beata aequinoctialis plaga.
1705 Rectè quidem Ariſtoteles eorum, quae apud nos fiunt, ſimilitudi-

militudine ſumpta, quomodo aër a ſole incaleſcat, inquirit.

1706 At non quidem huiuſmodi aër, nec eo a ſole pati modo, qualia quae conteruntur, ac quo pati a cõterente illa uiſa ſint.

1707 Nullo igitur pacto calorem aëri indere uideri poteſt ſol, quòd illum conterat, diuerberétq.

1708 Nec minùs ignis partes detrudat, nec minùs ad nos uſque illas deiaculetur, & hoc pacto aërem accendat.

1709 Solis itidem color, uel Ariſtoteli ipſi, igneum illum declarare potuit.

1710 Caelum itaque igneum eſſe, non ſolùm ſenſu, ſed etiam ratione probari, nobis palàm eſt.

1711 Caelum enim, uel Ariſtotelis teſtimonio, longè uelociſſimo, & numquam ceſſante motu circumagi, ideo calidum eidem uideri debuiſſe.

1712 Corpori itidem nobiliſſimo cùm nobiliſſima qualitas debeatur, fit, ut Caelum, calidum exiſtimemus, & eò etiam magis, quòd non qualitates modò, ſed illae Caelo ineſſe uidentur, quae caloris maximè propriae ſunt, & quae a calore conſtituuntur.

1713 Nec Peripateticorum rationes, quibus calorem, & frigus ſubſtantias non eſſe putant, quemquam mouere debent.

1714 Et quae igitur in Mundo uniuerſo ſummè a ſe ipſis diſtant, ea tantùm a contrariis primis, ſummíſq., & puris detineri, & prima omnino eſſe, ſimpliciáq.

1715 Quae uerò in horum medio ſpectatur, ſecunda omnia, miſtáq., ab iiſdem quidem contrariis, & ſibi ipſis commiſtis, & mutuò a ſe ipſis paſſis, effecta uideri debuere. Itaque uiſam Ariſtoteli? Quid tum!

1716 Nil aliud, niſi in Caelo, & Terra ſola ſummas, & ſummè inter ſe contrarias ineſſe uires, eaſdem, at languentes, debiléſq. iis omnibus, quae in eorum ſunt medio, propterea̋q. haec duo eſſe principia, uel ipſi Ariſtoteli ſua agnoſcenti, uideri debuiſſe.

1717 Quoniam itaque modus reperiri nullus poteſt, quo aërem conterat ſol, nihil ampliùs declarandum uideri poteſt, ſolem non propterea calorem facere, quòd aërem cõterat; ſed quod uerè calidus ipſe, atque igneus ſit.

1718 At ſi magis etiam id manifeſtandum uidetur, ex iis, quae calori eueniunt, e caloris nimirum diuerſitate, quae quidem ſumma eſt; manifeſtari optimè poteſt.

1719 Cuius quidem diſcriminum omnium cauſſa manifeſta eſt, ſi luce agat ſol, quorum nullius nulla reddi poteſt, ſi calor eius motui, aëríſq. adſignetur contritioni.

1720 Calor enim in meridionalibus terris longè, quàm in borealibus, & per aeſtatem, quàm per hiemem, & ſole medium Caelum tenente, quàm uel exoriente, uel occidente.

1721 Et in aëre itidem craſſiore, quàm in tenuiore.

1722 Et in planis, atque humilibus terris quàm in adcliuibus, editíſq.

1723 Et in concauis, quàm in planis.

1724 Et in ſolidis, denſíſq., quàm in apertis, laxíſq.

1725 Et in aequabili, tranquillóq. mari magis, quàm in fluctuãte eo agitatóq.

1726 Magnus itidem in lacubus, ſtagníſq.

1727 Et ſummus, ubi denſum quid, & quod lux permeare minimè poſſit, luci opponitur; eóq. ampliùs ſi id leue ſit, terſúmq., & concauum.

1728 Et nihilo fortè minùs, ubi ſolida quaedam, rotundáq. per tranſit.

1729 Diſcriminum horum omnium, & aliorum mille cauſſa omnibus philoſophis reddẽda omnino iuxta proprias poſitiones.

1730 Peripateticis quidem, quoniam calor a ſole aërem conterente fieri uidetur, ibi magis aër conteri, ubi maior fit calor.

1731 Nobis uerò, quibus lux illum facere uidetur, ibi robuſtior illa eſſe, uel copioſior.

1732 Solis, atque ignis; rerum uidelicet, quibus & ſummus, & per-

perfectus inest calor; propria lux. Quae calida, uel ab illis separata, percipitur, non modò caloris summi, perfectiq. species, sed calor ipse, ea uideri potest.

1733 At ut species modò exsistat, ubi multa in unum ipsa colligitur, calor itidem; cuius species ipsa est, & quo calefacit; multus & ipse fiat necesse est.

1734 Copiosior porro ibi fit lux, ueluti & calor, ubi tenuitati inditur uel crassiusculae, uel in se ipsam conglobatae.

1735 Sese enim generandi, multiplicandiq. facultate, praedita lux, ueluti & calor, tanta & ipsa in materia quauis fit, quantam ea illam capit. Et manifestè, quò in crassiore, accensa est re, eò & calidior, & splendidior fieri uidetur. Nec in infinitum id tamen, sed dum crassitiem, cui inditur, sustinet, exsuperátq.

1736 Et quae ualde tenui rei inditur, ea nec calefacere, nec ui summouere uidetur. At summa in tenuitate, plurima colligi potest lux.

1737 Nec tamen, agentium more naturarum, quamuis rem subit, ei ut propriae materiae haerere, tantáq. in ea fieri, quantam capere ea potest, uidetur lux.

1338 Nusquam igitur, uera quae exsistit lux, summáq. nisi in solo conspecta igne. Itaque si Solis propria uisa sit, liquidò calidum ipsum, atque igneum manifestet.

1739 Motum manifestè non caloris partem ullam; sed eius operationem esse, summè illam quidem caloris propriam, & a caloris omnino substantia, ingenióq. fluentem, & sine qua seruari nequeat calor.

1740 Sed aliam omnino a caloris substantia, & a calore ipso, & quam a calore, seiunctam, separatámq. intueri, & frigidis etiã indere liceat rebus.

1741 Nulla porro ignis, aut caloris ullius exsistens pars motus, nec etiam illi inhaerens, minimè illum perficere uideri potest.

1742 At quibus motus datur, caloris itidem iis; a quo solo prouenit, motus; substantia, ingeniúmq. indatur necesse sit. Ergo imaginari liceat, calorem a non calido motu fieri posse.

1743 Lux contrà, igni, perfecto nimirum calori, penitus inhaeret, penitúsq. infixa est, & ab eo separari, uel alia in re fieri modo nullo potest.

1744 Quin & ipsa perpetuò caloris consequitur casum, cum eo scilicet exoritur, uigétq., & languet cum eo, & cum eo etiam interit.

1745 Itaque si non calor ipse, eius certè; ut dictũ est; species, & ueluti adspectus uideri possit.

1746 Et eius itaque perfectio esse, nõ quòd ab ipsa, ueluti a motu, a calore distincta, bonum quidpiam ei eueniat; sed quòd ibi tantùm colori accedit, ubi perfectus is fit.

1747 Tamen non lucido modò corpori, caloríq. inhaerens, sed quàm longissimè ab eo profusa, calida sentitur tamen. Non itaque pacto ullo imaginari liceat, non calidam ipsam esse.

1748 Auerroẽs itaque falsò talem quandoque putauit. At si idẽ calidam enunciauit, inuitus quidem, & a re coactus tandem, & ab ipsa admonitus ueritate.

1749 Neque enim natura agens ulla, materiae dispositionem & sequitur; ibi nimirum fit, ubi eius ingenio concinna illa facta est, propriáq., sed ipsa agens natura se ipsam materiae, tum eo dispositionem etiam, qua gaudet, indit.

1750 Vt si calor a luce, & tenuitas indi uidetur, calor omnino illi inesse, & summus is uideri debeat; cuius scilicet propriũ subiectum tenuitas est.

1751 Quoniam itaque lux non, quocumque modo reflectatur, aequè calefacit, sed eò assiduè magis, quò magis in seipsam reflectitur; sibi ipsi nimirum unitur magis, & ignis ibi instar exurere, ubi directa in se ipsam resilit.

A pro-

1752 A propria ergo omnino ſubſtantia, & propriis uiribus, nō a reflexione adſumptis, calefacere uidetur.

1753 Neque enim aliud magis a reflexione recta, quàm ab obliqua luci aduenire uideri poteſt; niſi quòd in illa, ueluti duplex facta, propriis itidem uiribus duplicatis donata eſt; ſecus omnino, ubi ſummè obliqua reflexio fit.

1754 Quoniam igitur nō motu, ſed luce calefacere uidetur ſol, & lux calida uiſa eſt, & Solis propria, ab ipsóq. emanare ſole; neceſſariò & ſol ipſe calidus uideri debet. Stellae itidem reliquae, orbésq. uniuerſi.

1755 Si quidē & ſol ipſe, & ſtellae omnes orbibus, in quibus continentur, & quibus cum circumuoluuntur, eiuſdem omnino naturae, ſubſtantiaéq. uideri debent.

1756 Stellas in corpore illas, & nequaquam a propria ſubſtantia diſſimilis contineri.

1757 Item & quod Caelo ſubeſt ſpatium, corpore itidē repletū eſſe Caelo ſimili, cognatóq., ratiocinari licet.

1758 Caelum itaque ipſum eiuſdem illis eſſe ſubſtantiae, ſtatuēdum eſſe cenſemus. Nec, ut illas, calefacere, nec lucere, nec uiſile omnino eſſe, ratione tuebimur noua. Quod & ipſum ſumma donatum eſſe tenuitate, ratiocinabimur.

1759 Caelum itaque iiſdē omnino uiribus, eadémq. ſtellis ſpecie donatum eſſe uideri poteſt.

1760 Nec propterea uel Stellae reliquae, uel ſol ipſe uel uerè ſolidus, reniténsq., uel in craſſitiem omnino ullam actus uideri poteſt; quam ſcilicet ſummè auerſatur calor, & quae uel perexigua lucem foedat, & pro alba puniceam facit, flauámq.

1761 Candidus itaque conſpectus ſol, e tenuitate omnino cōſtitutus uideri debet, at ita in ſeipſam conſpiſſata conglobatáq., ut ſummus in eo calor, puriſſimáq. uigeat lux, qua & illuſtret, & uiuificet omnia. Neque eſt cur ſummus eius calor explicare illam uelit.

Non

1762 Non itaque alia ſubiecti diſpoſitione aequè gaudere uideri poteſt calor, quàm quae Soli tributa eſt; pura nimirum, ſynceráq. tenuitate, at in ſe ipſam eò uſque conglobata, dum nihil calorem ſuffocet, uel lucem etiam foedet.

1763 Ergo ſi parum quid magis conſpiſſetur, ſi calor non ſuffocetur, lux certè obſcuretur quid. Si magis explicetur, & calor langueat, & lux.

1764 At licèt denſus appareat ſol, non tamen non ex ſolo componi uideri debet igne, ſed e Terra etiam, a qua ſoliditatem habeat, ut Timaeo, philoſophi eminentiſſimi Teleſii conterraneo, Platoníq. placet.

1765 At ut ſolem & calidum omnino ipſum, atque igneum ſtatuamus, non ſenſus modò, & humana ratio omnis manifeſtat, ſed ſacrae etiam diuinae litterae teſtantur.

1766 Nónne Dei optimi maximi miniſtros, igneos appellant! Quin quod ſupremum eſt Caelum, empyriū uocant. & Deus ipſe, ex ignea columna Moyſem allocutus.

1767 Propterea igitur mouetur Caelum, quòd calidum igneúmq. eſt. Circulari porro mouetur motu, non tantùm quia hic motus aliis perfectior, ſed alia non uulgari ratione.

1768 Minimè tamen, ſciatis, illud umquam profiteamur, caeleſtia uidelicet omnia, aut pleraque, aut multa eſſe nobis nota, diuinâ conſtituta ſapientia, longiſſiméq. a ſenſu remota: Caeli nos naturam, ſubſtantiámq. in ſole inſpexiſſe contenti; quae ſeſe ipſa nobis manifeſtauit, ſentiendámq. praebuit apertiſſimè; & ipſam operationem, & ipſam ſenſu perceptam, & propriae conformem naturae, & pauca quaedam talia.

1769 Cetera, quae longè ſuperſunt plurima, & longè ſcitu digniſſima, ne inquirenda quidem uideri debent, ut quae homini innoteſcere nullo queant pacto.

1770 Nec ob id eorum, quae diximus, rationem reddi non poſſe negamus.

1771 Quod cùm ita ſit, ſciſcitor, ſi propterea mouetur Caelum, quòd calidum eſt, & motus propria eſt caloris operatio, quae cali-

calidiora sunt, nónne ueluciore ea motu opus habent? Rationi sanè congruum.

1772 Calidissimis itaque orbium partibus celerrimum cōuenire motum; Soli nimirum, stellisq.

1773 At uel longè fortè orbibus calidior uisus sol, non fortè uelociùs moueri opus habet.

1774 Quid si idem omnino Solis, qui orbium, fortè est calor!

1775 At si copiosior in sole factus, robustior etiam factus est calor, uelociore igitur indigebit motu. Esto; & iam multò quàm orbis uelociùs moueri uidetur sol.

1776 Nō itaque ab illo sol modò circūducitur, sed ipse per se, & longè quidem rapidissimo circumuoluitur motu.

1777 At non circumuoluitur luna. Ita uerum esse non diffitemur.

1778 Stellae reliquae, si non & ipsae Solis lucent luce, & propriis orbibus calidiores, uelociùs moueri appetunt. Circumuoluuntur igitur & ipsae, ueluti sol.

1779 Polis proximae partes non usquequaque immobiles, non proprio tantùm, sed a primo etiam delatae, circūactaeq. omnes.

1780 Quin non reliquae modò orbiū partes moueri uideātur, sed ipsi etiam reliquorum orbium poli.

1781 At neque primi fortè immobiles & etiam ipsi huc illuc aguntur.

1782 Quid enim non & primo is etiā, uel ei similis cōueniat motus, qui nuper in stellato deprehēsus est Caelo, trepidationis, ab eius inuentoribus dictus!

1783 Sphaerico certè exsistēte Caelo, & circulari circumuoluto motu, quale esse, & quo moueri oportuit pacto, nec aequè omnes ipsius moueri queāt partes, nec fortè necesse sit; quae scilicet a proximarum partium motu, ac calore seruari, foueriq. possunt; omnibus certè illum, quo opus habent, tributum esse dubitare minimè licet.

1784 Quoniam igitur propria natura mobile uidetur Caelũ, & a propria moueri substantia; nequaquam abstracti, seperátiq., atque immoti motores indagandi sunt. Quos intelligens, appeténsq., & quibus simile fieri studens Caelum, motu circum uoluatur aeterno.

1785 Quod autem dubitatum est ab aliis, a quo nam moueantur quae natura mouentur, non animata corpora: &, neque a seipsis, decretum est, Quia uitale & animatorum proprium, ridiculum apparet.

1786 Quin horum, ignis uidelicet, & multo etiam quàm animalium, magis proprius uideri debet.

1787 Omnibus enim moueri apta, mobilia entia, eo solo assiduè mouentur, quo moueri opus habent, & quo optimè moueri, maximéq. oblectari possunt.

1788 Illud etenim quam longissimè abesse uideri debet; motus scilicet ut passio uideri possit, proprius qui exsistit, naturalísq.

1789 At si motum quandam passionem, teneamus, pugnantia non loquemur. At neque in aliud actio uideri potest motus.

1790 Verùm motus ipse operatio est; Et sola fortè nobilissima certè, maximéq; suprema, & rectè ab Aristotele ipsi assignata Caelo.

1791 Et quando nec Aristoteli quidẽ, quae mouentur natura, uerè ab alio moueri uidentur, sed fieri modò, aut ab impedimento liberari; quae natura mouentur, omnia a seipsis moueri ponamus.

1792 Et multò Caelum ampliùs, quòd neque ab alio Aristoteli generatur, & cuius motus a nullo retardari, aut impediri potest.

1793 Neque enim quae natura, & a seipsis mouentur, quae num tota a seipsis moueantur, inquiritur, & cuiusmodi ignis quiuis sublunaris praesertim, & Caelum ipsum apparet, ab alio ullo deferri sed moueri, & uerè, dicitur idipsum.

Non

1794 Non amplius itaque, & quae ex seipsis, & natura mouētur, & quae itidem natura ipsa immobilia ab aliena agitantur ui moueri utraque eodem dicantur pacto.

1795 Quid nónne idem secundum idem impelli, & impellere, penitus uideatur impossibile! Neque enim quae in proprio loco, & in se ipsis circumuoluuntur, ea locum mutare uideri possunt.

1796 Non solae scilicet uoces; si rerum naturam inspicere propositum est; audiendae sunt; quae temere interdum positae, uel perperam perceptae, in multos nos iniiciunt errores; neque certè solae ipsae aperire illam satis possunt; sed multò priùs, multóq. amplius res ipsae, earúmq. operationes, facultatésq. inspiciendae, & tales utraeque ponēdae, quales esse uisae sint.

1797 Rerum itaque aliae mobiles sui natura, aliae uerò immobiles; & has ab illis gestari interdum, impellíue, illarum contrá, motum cohiberi ab his interdum, retineríue statuendum.

1798 Immotum uerò quod est, alia impellere, aut sese mouendi facultatem aliis praebere, efficiens omnino motus caussa esse, quae ab Aristotele inquirebatur, minimè unquam, ut quod minimè umquam uisum est, nec fieri posse, imaginari licet.

1799 Mouens igitur non sui desiderio, aut odio mouens, quale hic, non inquiritur, & quod immobile esse, animatúmq. nihil prohibet; sed quod efficiens sit motus, immotum nullum. Quae uerò a seipsis mouentur tota, a se ipsis totis mouētur.

1800 Nec uerò corporcū, finitúmq. Caelū, quò sēper moueatur, incorporeo opus babet, immotóq. motore, a quo longè robustissimo, penitúsq. immutabili senescens, aut ueluti dehiscēs resarciatur. aut ab assiduo motu debilitato robur subministretur, aut dirigatur motus.

1801 Nam ipsi in primis Aristoteli numquā aegrotare, senescere numquam uidetur Caelum.

1802 Non igitur ut aeterno, atque infinito tempore aliquid sit, & tempore ut infinito iuxta propriam operetur naturam, humana quidem ratione incorporeum id, uel infinitum esse oportet, uel alio huiusmodi opus habere.
1803 Sed quantulumcumque exsistat, a contrario modò nihil patiatur, immutetur nihil, per se aeternum sit illud, & numquam a propria cesset operatione; nullius ad eam edendã opera indigens aut ope.
1804 Quoniam igitur numquam a motu cesare, uel defatigari uidetur Caelum, non e duplici & ipsum substantia, & ex immobili altera, ueluti animalia, compositum uideri debet.
1805 Vniuersum itaque ipsum mobile, & spiritus substantiae quàm simillimum.
1806 Sed quid si motus etiam ipsi Aristoteli, Caeli est opus, & propter motum insuper sit Caelum!
1807 Neque igitur perperam Auerroës, caelestes orbes a motoribus moueri adserit, & sui ipsorum gratia, & formarum insuper materialium.
1808 Terrae uerò partes nequaquam sponte sua, proprióq. deorsum moueri ingenio, sed decidere magis, & pati quodãmodo, sustinere sese impotentes.
1809 Quódq. non a frigore fortè magis, quàm a crassitie; a materiae nimirum copia, habere uideantur.
1810 Ergo terrae partium descensus, non motus, atque operatio? Quid ni! Potiùs casus delapsúsue, & passio quaedam uideri debet.
1811 Quod uel ab igne ipso, & ab ipsis etiam flammis in crassiusculis accensis rebus, deorsum delabentibus, nobis palàm fieri potest.
1812 At Terra nónne in sublimi sustineri uidetur? Ita. Mouetur itaque? Non sequitur: ad contrarium ne declinabit!
1813 At neque qui motus assiduè magis cõcitatur, naturalis is,
pro-

propriúsq., sed praeter naturam omnino uideri debet.

1814 Nec si quidem in eo a naturali uiolentius differet, quòd hic asiduè magis languescat, ille uerò asiduè ueluti robur sumat, & magis concitetur.

1815 Sed quòd perpetuò idem est, nihílq. uel remittitur, uel concitatur umquam.

1816 Caussam uerò cur grauium delapsus non uniformis sit, sed magis asiduè concitetur, summè illam anxiè inquirentes Peripatetici omnes, nullam, ut uidetur, hucusque reddere potuerunt. At uerò illa eadem iuxta ea, quae a nobis exposita sunt, manifestißima esse uidetur.

1817 Quoniam uerò neque quod inalteratur, immutatúrq., ab immutante quid recipiat, agentéq., quòd eius proprium non sit, nobilius praesertim, praestantiúsq.; quae prima habent corpora, & ex ipsis constituta, compositáq., quouis constituantur modo, uel caloris uideri debent, uel frigoris propria.

FLVORES, ENTIA.

1818 Tametsi tot gradus ex crasitie ad tenuitatem esse significauimus, Lentorem tamen, & mollitiem, uiscositatémq. uel puras, syncerásq. esse, uel crasitiei, fluorísq. commistione factas.

1819 Ergo crasities, tenuitásq. coire iungíq., & simul esse poterunt? Quid ni! Et tamen calor, & frigus nunquam simul? Numquam.

1820 Et puras quidem, syncerásq. a calore quouis, uel summis praedito uiribus, fieri posse tenemus. At bene uniformis sit calor oportet.

1821 At a calore quouis fieri cùm posint, commodiùs a languidiore fieri uidentur.

1822 Et puro omnino lentore donata quae sunt, & mollitie, uiscositatéq., cuiusmodi aurum uidetur, a calore huiusmodi,

languen-

languente nimirum, lentóq., & bene uniformi, facta uidentur.
1823 Vnde aurum ab igne liquefactum, nihil, aut insensile quid imminui uidetur.
1824 Haec tamen pura fieri a calore quouis, at commodiùs a languidiore, dum e bene similari re fieri dignoscas.
1825 At impurae quae sunt, crassitiei, fluorísq. commistione factae, e re omnino dissimilari, & a calore quocumque etiam.
1826 Ceterùm contrario ordine fieri uideri debent, ut languidior lentorem primùm, si copiosior tenuiórq., mollitiem, postremò, & uiscositatem faciat.
1827 Vehemens, contrà, fluorem in uiscositatem, & uiscositatē in mollitiem, & mollitiem in lentorem, & lentorem in crassitiem agit calor.
1828 Huiusmodi, porro, & debilioris, & robustioris caloris indissimilaria actiones, & tales dictas esse dispositiones, uel oua, quae elixantur, uel quae assantur carnes declarant.
1829 Porro si in tenuitatem crassities agatur, in medias dispositiones agenda est omnes.
1830 At tamen non omnia, quae e crassis tenuia fiunt, in medias dispositiones agi uidentur.
1831 Viscositas etiam, quae praesertim e dissimilari fit re, languentis, magis quàm uehementis caloris opus uideri debet.
1832 Quinimmo & quae a uehementi fieri uidetur, a languente omnino fieri tenemus.
1833 Languentem itidem calorem ad crassitiem, uel summam, in fluores inuertendam satis esse, ipsi satis declarant fluores in profundioribus Terrae partibus enascentes, & metalla paullò minùs.
1834 At bene diuturnus sit calor oportet, & qui non diu modò, sed assiduè agat, & multum se omnino rebus, in quas agit, indat, hoc est sui copia exsuperet.

Et si

1835 Et si (ut dictum est) caloris cuiusuis opus fluor, & a uehementiore promptiùs faciliùsq. fiat; at non a summo tamen fieri affirmamus.

1836 Quod de fluore diximus, idem de tenuitate dicendum esse tenemus.

1837 Vt tenuitas postremò, quae uera, & summa uideri potest; quae scilicet non cedit modò, sed latet etiam tactum, & non in se ipsam conspissata, uisum fugit, uel a languente etiam calore effici posse uidetur.

1838 At uel summus, integérq., & penitus crassitiem exsuperans, ubi in dissimilare agit ens, non puram illam facere; sed minutissimis quidem rebus, & longè illis crassissimis commistam, quae fuligines dicuntur, uidetur. & eò etiam plures, quò uehementior sit calor, ingenerari uidemus.

1839 At contrà, ubi non tantis uiribus agit calor. & ubi insuper non diu agit, cineres etiam facit, minutos quidem & ipsos, at bene crassos.

1840 Cinis itaque crassities est, quae ab igne inalterari quidē, at non inuerti potuerit.

1841 Calor igitur unius opifex tenuitatis, crassitiei itidem opifex uideri potest.

1842 Quoniam de uniuerso calore, ac materia diximus, illud tamen sciri uolumus, quòd nec materiae, rerúmq. similitudo, nec caloris aequabilitas uera, exquisitáue ente in ullo, aut ulla in entis cuiusuis constitutione haberi potest.

1843 Sol igitur non erit idem? Immo nullo temporis momento idem permanet.

1844 Nulla itaque similaris exsistit uerè res, & calor nullus uerè uniformis!

1845 Quae igitur erit similaris res? Ea profectò, ísq. uniformis calor uideri potest, quae dissimilaris, & qui difformis non apparet.

1846 Quae ergo ab hoc solo, atque uniformi calore, & e similari in-

ri insuper materia constituta uideri possunt? Quae & sibi ipsis similia uidentur uniuersa, & quae dispositionem nacta sunt, caloris actioni propriam.
1847 Quae haec sint, clariùs explica. Quae tenuia sunt, uel fluida, uel lenta, uel alba, tenuitatis omnino, & eorum, quae tenuitatis propria sunt, participia.
1848 A quae itaque tantùm erunt hae?
1849 A quae nimirum omnes, & omnes omnino fluores, & quae e fluoribus, a calore diutiùs agente cõspissatis, compacta sunt, si non a uerè uniformi calore, at ab eo omnino, qui parum ab uniformi differat; & si non e uerè similari re, at quae ad similarem proximè accedat.
1850 Qui uerò fluores calore, tenuitatéq., & iis omnibus, quae tenuitatis sunt, exsuperant, ii & a robustiore calore, & e Terra magis inuerti se sinente, effecti sint oportet.
1851 Crassiores uerò contrà, frigidioresq. a calore debiliore, & e magis repugnante Terra effecti uideri debent.
1852 Quid! nón ne dari possunt, qui calore quidem exsuperet, tenuitate uerò exsuperentur? Possunt.
1853 Et id quidem, quod marinis ad fontanas aquas euenire apparet.
1854 Crassiores itaque multò, multò etiã calidiores aquae marinae, fontanae contrá.
1855 Eorum uerò, quae e fluoribus efficiuntur, multò alia tenuiora, at non alba tamen, ut gemmae multae, quae transspicuae quidem, puniceae, uiridésq. sunt. Alia uerò econtrà, alba quidem, at non perspicua, cuiusmodi lapides multi.
1856 At uerò e fluoribus a calore conspissatis ea omnia compacta uideri debent, quibus ea insunt, quae maioris tenuitatis propria sunt, quàm qua praedita sunt ipsa.
1857 Ossa igitur animalium hoc pacto effecta uideri debent, & ea omnia, quibus solidis inessé apparet albedo; e tenuitate, in quam, in se ipsam conspissata compacta sunt.
1858 E semine enim, dubio procul, ossa cõstituta esse tenemus,
&non

& non ex eo a frigore gelato.

1859 Sal itaque (& quae sali similia sunt) eodem pacto concretũ uideri debet.

1860 Argentum uerò cùm non modò album, sed candidum, nitidúmq. sit? E fluore.

1861 Neque candor, nitórq., qui argento inesse apparet, crassiori, quàm fluor est, rei indi posse uidetur.

1862 Et metalla igitur, nec ea tantùm, quae argenti similia sũt, sed reliqua etiam omnia, non si quidem alio, quàm quo argentum fit, fieri reliqua, existimare licet.

1863 Quae uerò bene quidem calida, ac minimè alba, minimé q. transspicuitatis, ac ne lentoris quidem participia apparent, a robusto quidem calore, & e fluoribus facta uideri debēt summè dissimilaribus.

1864 Sunt uerò & quae calida quidem, & dura, densáq., & nequaquam tenuitatis defectu, sed eius ueluti nodo, cuiusmodi quae a frigore gelantur, talia a calore quidem constituta uideri debent.

1865 A calore, inquam, si quidem calida, at non solo, sed a frigore etiam uel ueluti per uices agente, uel caloris actionem excipiente, & fluorem a calore factum ueluti ligante, compingentéq.; inexsistente calore, minimè inde eiecto, & nihil omnino uel modicum quid passo.

1866 Talia porro uideri possunt & quae bene aequabilia, & bene leuia apparent: nam quae a calore duritiem adsumunt, inaequabilia, durioráq. fieri uidentur.

1867 Quae uerò transspicua sunt, densáq., & frigida; cuiusmodi & gemmae, & lapides etiam nonnulli; caloris quidẽ actione tenuia primùm, fluidáq., mox, calore extincto, a frigore gelata, occupatáq. uideri debent.

1868 Et talia, quae sunt, dicto modo constitui, glacies declarat, crystallúmq., quod e glacie confectum ui deri potest.

AQVA.

1869 Aquas porro nullas a frigore constitutas esse, & nullas omnino esse frigidas, aquarum omnium generatio, constitutióq., & earum actio, passióq., & ipsa ampliùs manifestare poterit operatio.

1870 Quae siquidem e nubibus fiunt e uaporibus, e calida omnino re omnes Aristoteli etiam fiunt, in se ipsam coacta, spissatáq., aliud passa nihil.

1871 Nullae itaque pluuiae, dum non in unum coëunt uapores; at ibi semper, ubi in se ipsas coactae sunt nubes, & in se ipsos spissati uapores; seu id, loci angustia, seu uentorum ui, quacumque demum fiat occasione, uel in summè etiam calido ambiente.

1872 Nec certè si ad aquarum generationem conspissatio sola satis non sit, & frigore etiam opus sit.

1873 Tum ad uapores, in aquas cogendos, conspissationem satis esse, nullius ope indigentem frigoris, uel ipsis intueri licet oculis.

1874 Vbicũque uidelicet quacumque occasione in se ipsos spissantur, in ualde etiã calidis rebus, nec uapores modò reliqui, sed fumus etiam ipse in aquas crassescit.

1875 Neque enim aliud uideri aqua potest, nisi uapor in se ipsum conspissatus. Veluti neque uapor aliud, nisi adtenuata aqua.

1876 Aquarũ item constitutio omnis, minimè frigidas aquas declarat: nam si Terram ipsam, ut nobis placet in aquam inuertit sol, nulli dubitandum sit quidquam, nec summè frigidam, nec frigidam omnino esse aquam.

1877 Non itaque frigus in his sit summum, quale aquas Aristoteli constituit.

1878 *Aquam omnino, calidam, ponimus; eáq. frigidiorem esse Terram, pro certo habemus:* Id quod annis superioribus tutati sumus. Quod quoniam nouum, uelutíq. a me ortum uidebatur, mirum, quos cachinnos excitarimus cuidam asino non solùm ad nostram hanc, uerùm etiam ad Aristotelis Peripateti-

cam

cam lyram. qui cùm eorum uerborum ſenſum percipere non poſſet; at ſe tenere probè, opinaretur; me, omnino calidam aquam pronunciantem, calidiſſimam, hariolatus eſt, eam declarauiſſe. Quaeſo, iterum in litterarii ludi puluere ſe exerceat.

1879 At neque actio ulla, quae nimirum, uel liberaliſſimè epota, nullum animalibus malum infert.

1880 Nec uerò linguam conſtringit quidquam. Nam Galeno; & rectè; ſapor, ſi quid aliud, rei cuiuſuis naturam manifeſtare uidetur.

1881 Nec ſolùm nulla aquae actio magnum ei ineſſe frigus, declarat, at neque paſsio ulla; quae nimirum feruens facta, & magno donata calore, tantum abeſt, vt corrumpatur, uel aqua ceſſet, ut magis aqua fiat.

1882 Propria itidem operatio, non modò non frigidam declarat aquam, ſed calidam omnino; quae cùm motu ſeruari uiſa, calida omnino uideri debet.

1883 Aqua deinde ignem quidem, licèt extinguere uideatur copioſa in eum iniecta, at in aquam agere; frigus uidelicet illi indere, & craſsiuſculum facere, uiſa certè eſt numquam.

1884 At oportebat paſsim ubi mole exſuperat, uel nihil illi cõmiſta, nihílq. illum contingens, nihilóq. ſegniùs, quàm ab igne ipſa, nihil ab eo contacta, uel in igni proximam rem, uel in ignem omnino, diuturniorem eius morata actionem, agi uidetur.

1885 Minùs etiam terram aqua inuertit: at ab igne tamen in aquam terra inuerti apparet.

1886 Non igitur e lignis modò accenſis, ſed e ſaxis effluere illa paſsim uidetur: ut dubitare nihil liceat, Terrae, atque ignis mediam eſſe aquam, & ſecundum omnino corpus.

1887 Quinimmo neque aërem inuertendi potens aqua uideri poteſt.

1888 Solus itaque Ignis, & Terra ſola, prima corpora.

AER.

1889 At non & aëri itidem, atque aquae commune poſſumus

praebere principium, ut Aristoteles; si quidē ignis nullus ab aëre inuerti uisus est umquam.
1890 Terra itidem nihil omnino ab aëre pati uidetur, sed quantulauis eius glaeba in aëre quantouis perpetuò seruari.
1891 At neque aquam, uel succum omnino ullum in propriam agere naturam uidetur aër, nisi uel a sole, uel a Terra, cōtrario sit affectus modo.

ANIMALIA.

1892 Ergo quae e diuersis partibus manifestè composita sunt; cuiusmodi & animalia, & plantae uidentur; e materia omnino ualde dissimilari confecta esse uideri debent.
1893 Quo uerò a calore? Ab uniformi, & perblando.
1894 Quam enim tenuitatem calor ipse, & quem ingenerat spiritum, uel e non dura re minimè illum educit.
1895 Non igitur mirandum, quod diximus, solem ipsum sūmè calidum, in frigidissimam agentem Terram, Terrae partes inuertere, & calore quodam omnes, & quadam donare tenuitate. quin & quas etiam benè calidas, & benè tenues facit, in calidissimos, tenuisimósq. agit uapores, & in ipsas animalium animas.
1896 Nec uerò de humana etiam anima id dictum existimet quis, quam a Deo ipso in singula hominum corpora infusam esse, non sacrae tantùm diuinae litterae; sed; ut aliàs, Deo ipso fauente, disputabitur; humana etiam ratio nos docet: at de ea modò, quae e semine educitur, & quae agentis naturae opus uideri potest.
1897 Ecquid enim aliud sunt animalia (ut aliàs latiùs, Deo duce, disputabitur) quàm spiritus proprio integumento, proprióq. inclusus organo!
1898 Quae itidem a semine fiunt, uel non e singulis corporis partibus eo prouenientе, & nequaquam iis praedito partibus,

bus, quibus quae ex eo constituuntur, animalia donata uidentur; a simili tamen fieri, manifestè nobis uidentur.

1899 Vteri ergo calor; qui (ut aliàs dicemus) praecipuè in animalium constitutione, opificis uicem subire uidetur; & semen ipsum, & femineum sanguinem, & spiritum in semine confecto attractum bene, utrumque uarium, uariè immutat, uarias utrique substantias, & uarias species, variásq. indit dispositiones.

1900 Quin & ignis; qui motu, & duorum corporum adtritu fit; & ipse a simili fieri uidetur.

1901 Quem eundem a motu factum, a propria caloris factum operatione, ac substantia, existimamus.

1902 Tametsi propriae conseruationis, & proprii boni sensum naturis agentibus datum confitemur, at non eundem tamen utrisque, sed longè calori exquisitiorem, ut spiritus, animalium corpori inclusus declarat.

1903 Quò igitur quis calidior, eò usque, sensu praeditus exquisitiore, eóq. stupidior, quò frigidiori, seu natura tales sint, siue etiam morbo, aut occasione alia quauis.

1904 Rectè ergo Galenus, furentes, & iracundos, caloris abun- „ dantia; graues, & pigros, temperaturae frigiditate fieri.

1905 Nil itaque sensus aliud, quàm propriae passionis perceptio, uideri potest.

1906 Nec uerò quòd organa, quibus sentire animalia uidentur, reliquorum nulli data sunt, sola propterea animalia sentiendi facultate praedita uideantur; entia uerò reliqua eius expertia esse omnino.

1907 Non igitur quod organorum est munus, operandi, sentiendiq. facultatem, aut etiam facilitatem, sentienti animae sensoria praebere uidentur.

1908 Praestant tamen illud, vt scilicet sensilium actiones admittant, uel non ualenter repellant.

1909 Non itaque organa esse, sine quibus aut nihil omnino, aut aegriùs sentiat quid?

Sunt

1910 Sunt tamen uiae omnino, atque aditus, quibus externarum rerum actio, & res ipsae ad inexsistentem, & uerè sentientem deferantur spiritum.

1911 Vt enim sensus animali fiat, ad spiritum ipsum sensilis actio perueniat, & in ipsum agat spiritum necesse est.

1912 Quo fit ut ibi omnino sentire animal uideatur, ubi ipse patitur spiritus, alibi nusquam.

1913 Quare qui in animali fit sensus, non uniuersi est corporis, sed neruosi modò generis; quin neque huius omnis, sed spiritus, qui illi inexsistit.

1914 Ceterùm ualidas, & uigentes caloris, frigorísq. uires qua uis corporis parte animal percipere tenemus, atque ibi exquisitiùs, ubi copiosior adest, & minùs obtegitur spiritus.

1915 Languentes uerò easdem, & ueluti stertentes, demortuásq., quales quae cibis in exsistunt, apparent, uix in una.

1916 In spiritum, modò mollissima contectus sit re, uel languidissimae illae agere uideri debent.

1917 Neque igitur in spiritum odores, aëris nimirum affectiones, uel lux agere poterunt? Nimirum.

1918 Ad ipsum itaque oportet ferantur spiritum, nullis contectum neruis, cute nulla, & ipsi omnino immisceantur spiritui.

1919 Quare non aliud uel narium meatus, uel summè transspicuae oculorum tunicae praestare uidentur, quàm subeunti modò aëri patentes illi, & luci hae peruiae, ingredientibus ipsis praebere iter.

1920 At neque aures aliud quidquam, sed aërem modò ad ipsas delatum excipere, & seruare unitum, diffundi dissiparíq. illum, & qui in illo factus est, motum prohibentes, qui, spiritui communicatus, sonus apparet.

1921 Entia uerò reliqua nullo donata tegumento, sed quod uidentur, exsistentia, proprias vt percipiant passiones, nullis habent opus tegumenti foraminibus.

DEVS

DEVS OPTIMVS MAXIMVS.

I

DEVM porro esse, & rerum omnium conditorem, non Caeli motus, appetitúsq., sed is eius motus, eáq. eiusdem a Terra, manifestet, distantia; quibus prouisum uidetur, vt longè etiã exsuperans Terram sol, nullam tamen eius partem exurat, & nullam non illustret, viuificétq., nulli demum sua non largiatur bona: & admirabilis Caeli ipsius constructio; tum reliquorum entium, animalium praesertim paullò minûs.

II

Hanc certè constructionem intuitus qui fuerit, quantumuis ferus, impius, caudex, stipes, plumbeus, ac stupidus etiam fuerit, nequaquam fortuitò, aut casu factam esse, suspicari aut queat, aut uelit; sed verè DEI ipsius consilio.

III

Eius substantiam, aut alias inquirere operationes, non arrogans magis, quàm stultum uideri potest; ut quae homini innotescere nullo modo possint. Quae de se sciri uoluit, ea nobis ipse manifestauit DEVS. Iis contenti, nequaquam nostris alia uiribus, aut humanis inquirere audeamus rationibus: quae scilicet longè animi nostri aciem exsuperent, longéq. sint lucidiora, quàm quae humanus intueri queat oculus. Ibi spero inspicienda omnia, ubi corpore exsolutus animus, ad ipsum, unde profectus est, euolarit DEVM: Cui sempiterna laus, & gloria a nobis debetur in secula seculorum.

ANTO-

ANTONII PERSII

POSITIONES

PRO ARISTOTELE.

1922 GEnerationem omnẽ a ſimili eſſe, quique ſapientes; quia omnia quaecumque fieri uidentur, a ſimili facta dignorunt; protulerunt.

1923 Naturas uerò, a quibus talia cõſtitui, antiquioribus uiſa ſunt, minùs declaratas eſſe comperiemus.

1924 Et Plato quidem; nihil hic intuitus, cui plantarum, animaliúmq. ſponte ſua enaſcentium conſtitutionem adſignare poſſet; rerum omnium ideas, ſimilitudines nimirum, & agentes eas conſtituentésq. eſſe opinatus, e quibus ſingulis ſingula conſtituentur entia.

1925 Remotiſſimam attamen, obſcuriſſimámq. rem, & fortè minimè Naturali afferendam; cuius cognitio omnis a ſenſu pendet. Iure igitur paſsim ab Ariſtotele reiectam exploſámq.

1926 Longè itaque ipſe proximiùs, apertiúsq., & quod ipſis paene intueri licet oculis, a ſole nimirum generari omnia; tametſi ranae ad ſolem ſimilitudinem declarare minùs poſsit, cùm ſol Ariſtoteli, caloris expers ſit, ac ueluti conterens aërem, calorẽ tantùm generet.

1927 Rectè Ariſtoteli uiſum, Terram immobilem eſſe.

1928 Itidem frigori, a quo in primis conſtitui uidetur Terra, immobilitas tributa eſt.

1929 Rectè, ſummè mobile uiſum Ariſt. Caelum.

1930 Rectè itidem motum, leuitatémq. calori tribuit.

1931 Rectè principium primúmq. materia eſt, inſeparabilis
„ quidem, ſed contrariis ſubiecta. nec enim calor frigori, nec
„ illi hoc; ſed quod utrique ſubiicitur, materia eſt. quare pri-

„ mò, quòd potentiâ sensibile corpus principium est, tum con-
„ trarietates ipsae, ceu calor, & frigus, &c. uidelicet ex Ocello Lucano omnia. simplicium tamen substantia, calor est Aristoteli.

1932 Rectè calidum, & frigidum, & humidum, & siccum princi
„ pia apparent; quae nimirum & agere uidentur, & pati, & pri-
„ ma esse, qualia primorum corporum; & quae in sese mutuò
„ transmutantur, principia esse oportet.

1933 Rectè, sola materia, & prima contrarietas ad primorũ corporum constitutionem, satis esse, Arist. uisa est.

1934 Rectè, tangibiles oportere esse tangibilium corporum spe
„ cificas differentias: corporis enim sensibilis, hoc est tãgibilis,
„ principia quaerimus.

1935 Similares partes ex elementis constituuntur, seu ueriùs ex
„ uiribus elementorum; non tamen omnibus, sed ex calido, fri-
„ gido, humido, sicco.

1936 Rectè itidem & Peripateticorum optimi dixere, calorem substantiam esse, quoniam ignis forma.

1937 Elementa omnia contrarietatem habent, quoniam ipsorũ
„ differentiae contrariae sunt; differentiis porro, a quibus con-
„ stituuntur, immutatis, & ipsa itidem immutantur: frigore igi
„ tur in calorem immutato, aqua in aërem transit, & aër fit: at si
„ neutra differentia, neutram uicerit, mutuò autem in sei-
„ psas agentes, & mutuò a seipsis patiẽtes, sese mutuò imminue
„ rint debilitauerintq., ut utriusque uis retusa appareat, ac re-
„ fracta, utrumque immutatur; ac nec aqua ampliùs remanet,
„ nec aër, neque aër constituitur, nec aqua; sed tertium quoddã
„ ueluti ex utroque compositum. Mistorum ergo substantia Aristoteli nulla est, praeter calorem, & frigus. quod cùm ita sit, rectè sensit.

1938 Simplex, & naturalis generatio, transmutatio est, facta ab actiuis qualitatibus, a calore uidelicet, & frigore, e subiecta materia: rectè.

1939 Generătur in Terra,humoréq. animalia,quoniam humor
„ in Terra,ſpiritus in humore,calor animalis in uniuerſo eſt; ita
„ ut quodammodo omnia animae plena ſint: quamobrem conſi
„ ſtunt celeriter,cùm calor ille comprehenſus,ſiue exceptus eſt.
„ comprehenditur autem, & humoribus incaleſcentibus effici-
„ tur,ueluti bulla ſpumoſa. Animalium itaque animae, ubi eo-
rum generationem proximiùs intuitus eſt,a calore conſtitui,
Ariſt. ſunt uiſae.

1940 Ineſt in omniũ ſemine,quod calor uocatur;id autẽ nõ ignis
„ nõ talis aliqua facultas,ſed ſpiritus, qui in ſemine,ſpumoſóq.
„ corpore continetur, & natura,quae in eo eſt ſpiritu,proportio
„ ne reſpondens elemento ſtellarum. Quamobrẽ ignis nullum
„ animal generat,at Solis,& animalium generatiuus calor : ne-
„ que is modò,qui ſemine continetur,uerùm etiam ſi quid ex-
„ crementi ſit,quamuis a natura diuerſum.

1941 Quoniã igitur non quodlibet agit in quodlibet,nec quod
„ libet a quolibet patitur; ſed contrarium modò in contrarium
„ agit, & contrarium a contrario patitur; quae agunt princi-
„ pia, formae nimirum , ſubſtantiaéq., contraria eſſe opor-
„ tet.

1942 Tum praeterea,quoniam nec ab alio oriri oportet princi-
„ pia,nec a ſeipſis mutuò,& ab ipſis conſtitui omnia; propterea
„ contraria illa eſſe oportet. Et prima inſuper contraria,integra
„ nimirum,nihílq. imminuta.

1943 Adeò manifeſtum eſt,agentia, formaliáq. principia con-
„ traria oportere poni, ut antiquiores ueluti ab ipſa coacti ue
„ ritate,in hoc conuenerint ad unum omnes: omnes enim cõtra
„ ria poſuere.

1944 Rectè itidem & illud,quoniam contrarius eſt generatio-
„ ni interitus;contrariorum autem contrarias eſſe oportet cauſ
„ ſas agentes ; quae agunt, efficiúntq., contraria ſint,neceſ-
„ ſe eſt.

1945 Nos autem ſenſibilium corporum materiam quandam eſ

ſe

„ ſe dicimus; eam autem ſeparari non poſſe, ſed ſemper cum con
„ trarietate eſſe: numquam ſcilicet ab altero contrario ſciunctã,
„ ſed ab altero perpetuò detentam.
1946 Materiam ponimus inſeparabilem quidem, ſed cõtrariis
„ ſubiectam, formis nimirum, ſubſtantiiſq.
1947 Rectè itaque defendi poſſe remur, ſubſtantiam aliquã ſub
ſtantiae non eſſe contrariam.
1948 Nequaquam miſtio fit, ubi eorum, quae miſcentur, perit
„ alterum; ſed in id, quod exſuperat, acceſſio: ueluti ſi gutta ui-
„ ni decies millenis aquae menſuris infundatur, non miſce-
„ tur.
1949 Vbi verò aequis quodammodo uiribus praeditae ſunt, ibi
„ utrumque e ſua natura in id quidẽ, quod uincit, immutatur:
„ at non tamen alterum fit, ſed ueluti inter utrumque mediũ, ac
„ commune: rectè.
1950 Modica igitur aqua plurimo uino infuſa, vinum fit; quia
„ perit aqua, uini formã nihil, aut inſenſile quid immutatã.
„ quòd ſi aqua copioſior aſſiduè infundatur, magis aſſiduè patia
„ tur, debilitetúrq., ac remittatur, & aqua etiam tandem fiat,
„ uel aquae ſimilis res, poſtremò aqua omnino: rectè.
1951 Tangibili differentia tangibilia corpora, inter ſe differre
„ oportet.
1952 At neque principia ex ſe ipſis mutuò fiunt: nam contraria
„ ſunt: ex iis autem omnia; iis enim materiae accedentibus, en-
„ tia conſtituuntur omnia.
1953 Generatio praeterea omnis iuxta mutationem fit, muta-
„ tio uerò in contraria omnis.
1954 Neque enim uel quodlibet agat in quodlibet, uel a quoli
„ bet patiatur quodlibet; non ſcilicet album e muſico, per ſe fiat;
„ ſed e nigro omnino, aut purpureo, aut medio alio colore: Ne-
„ que in quodlibet corrumpitur quid, ſed in contrarium modò;
„ non ſcilicet in muſicum, album per ſe, ſed in nigrum modó.
1955 Quodcumque igitur fit, & quodcumque corrumpitur, e

contrariis fit, & in contraria corrumpitur, uel in media: quae & ipsa a contrariis primis generantur.
1956 Omnino itaque enunciare licet, omnia natura constituta
» uel contraria esse, uel e contrariis: contraria quidem, extrema,
» e contrariis autem media.
1957 Simul fieri nequit, ut primae contrarietates sint plures: si-
» quidem in natura una, & uno in genere, cuiusmodi substantia
» exsistit, unica tantùm prima est oppositio.
1958 Cuius differentiae, hoc aliquid; habitum uidelicet, for-
» mámq.; significant, id magis substantia est; cuius contrà, dif-
» ferentiae, priuationem magis, id magis non ens est. his autem
» differentiis, ignis, & Terra differunt. Contrarium itaque alterum praestantius nobiliúsq., forma, atque habitus Aristot. uidetur; priuatio alterum, deterius scilicet, & ignobilius.
1959 Prima itaque contrarietas, habitus est, & priuatio.
1960 Si generationes ex contrariis in natura fiunt; e forma au-
» tem, & formae habitu, aut ex aliqua formae priuatione fiunt;
» patet omnem quidem contrarietatem, priuationem quandam
» esse: priuationem autem non omnem fortasse, contrarietatem
» esse. patet etiam per inductionem: omnis enim contrarietas,
» contrariorum priuationem habet.
1961 Quare per priuationem semper contrarium alterum dici
» patet.
1962 Sed num eadem sint omnium principia? Sunt fortè, & non
» sunt, ueluti corporum forsan sensibilium, calidum quidem est,
» ut forma, frigidum verò alio modo priuatio est; & materies, id
» quod haec est, potentia primùm per se.
1963 Similitudine itaque rationis, omnium principia eadem di
» cere possumus, perinde atquè si quispiam dixerit, tria esse prin
» cipia, formam, priuationem, atque materiam.
1964 Ceterùm unumquodque istorum circa unumquodque ge
» nus, diuersum est: ut in colore album, nigrum, superficies; lu-
» men, tenebrae, aër: ex his autem dies emergit, & nox.
1965 Qui itaque haec considerant, tria esse elementa considera
re,

» re,cum ratione coniunctum,ut dictum est, uidetur.

1966 Quin nec plures contrarietates primae esse possunt: quan» doquidem substantia unum quoddam genus est eius, quod » est. principia igitur eò solùm, quòd prius est, & posterius,non » genere inter se differrent: etenim uno in genere una semper » est contrarietas,& contrarietates omnes in unam semper redu » ci uidentur.

1967 Substantia,in qua generationes fiunt,& corruptiones,ue» luti natura quaeuis alia, & aliud genus quoduis,a duobus tan » tùm detineri potest primis contrariis: reliqua,quae inesse ui» dentur,prima non sunt, neque alterius omnino generis, sed a » primis illis manant, & sub prima illa,reducenda omnino sunt; » illa eadem uidelicet,at non integra puráue, sed imminuta, & » sibi ipsis commista.

1968 Prima item contraria in natura quauis, quàm longissimè » a seipsis posita sunt; in medio eadem quidem, at imminuta,& » & sibi ipsis commista.

1969 Calor,& frigus,efficiendi uim habent; siccitas uerò, & hu» mor,patiendi; id quod inductione probatur. calor enim, & fri » gus cùm ea,quae eiusdem, tum quae diuersi generis sunt, de» terminare,coniungere,immutare,humectare, exsiccare, dura » re,emollire,in omnibus uidentur: rectè, redde Ocello quadru » plum,trifur.

1970 Humida uerò,& sicca tum etiam per se, tum quae commu » niter ex utrisque concreta sunt, corpora terminari, & aliis, » quae dictae sunt,qualitatibus affici.

1971 Tenuitas, mollitiésq., & uiscositas principia non sunt: » nam sub humiditatem reducuntur, & humiditatis propriae » sunt; humiditas nimirum illarum quaelibet, at non pura sin» ceráq.

1972 Durum est, quod concretum, gelatúmq. est: quod autem » concretum est, siccum est.

1973 Alienorum disgregatiuus est calor, similium congrega» tiuus.

Frigus

1974 Frigus contrà, omnium congregatiuus.

4 Mete. 1975 Quaecumque exsiccantur, uel calefacta exsiccantur, uel
„ frigefacta: at siue hoc, siue illo fiat modo, a calore exsiccantur
„ omnia, uel externo, humiditatem eliciente, uel ab interno a
„ frigore eiecto, extrusóq. humiditatem secum educente.

1976 Quae aquea sunt, unius caloris exitu concrescunt: soluun
„ tur itaque, unius caloris ingressu; & non aquea tantùm, sed
„ quae ex aqua itidem sunt, & Terra.

1977 Quae ad Terrã, & ad aquam, sed plus ad Terram adtinẽt,
„ si ex eo, quòd calor exierit, concreta sunt, calore, ubi rursus ad
„ uenerit, liquantur; ueluti lutum, cùm gelu adstrictum est.

1978 Quae refrigeratione, & caloris uniuersi exspiratione con
„ creuere, ea non soluuntur, nisi caloris exsuperantia, sed mol-
„ liuntur; ut ferrum, & cornu.

1979 Eo locari entia oportet modo, ut contenta continentibus
„ similia sint cognatáq.

1980 Humidum id est, quod proprio termino indeterminabile
„ est: alieno uerò bene determinabile: quod scilicet sese conti-
„ nere, & in propriis terminis, propriáq. figura seruare minimè
„ potest; & quod alienos terminos, alienámq. figuram prom-
„ ptè suscipit.

1981 Tenuitas, mollitiésq. humiditatis sunt, & illarum utraque
„ humiditas quid passa; crassities cõtrà, & durities, siccitatis pro
„ priae, & utraque siccitas quid passa: si quidem illarũ utraque,
„ quae humiditatis; hae contrà, quae siccitatis sunt, habere, & fa
„ cere uidentur.

1982 Siccũ contrà, quod proprio quidem termino bene determi
„ nabile est: alieno uerò bene indeterminabile: quod scilicet se
„ se cõtinet, & in propriis terminis, propriáq. seruat figura; & a-
„ lienos terminos, alienámq. figuram non suscipit.

1983 Humidum enim, quoniam proprio termino non contine-
„ tur, & alienum facilè suscipit, & facilè se impelli sinit, reple-
„ tiuum uidetur: id uerò, quod tenue est, praestat.

1984 Si quidem e partibus exiguis constat; tale autem quod
est,

» eſt,quia totum ipſum,quibus apponitur,contingit tota; reple
» tiuum omnino exſiſtit.

1985 Mollities uerò in ſeſe refugit,cedítq., id quod humidi om
» nino eſt,& humidum facere ſolet.

1986 Ad proprium locum ferri unumquodque, ad ſuū ſimile,
» & ſuam ſpeciem eſt ferri;&ſic utique quis exiſtimabit id,quod
» antiqui dicebant,ſimile ad ſimile ferri.

1987 Quoniam id,quod omnibus ſubſtat,fertur ad mediū,neceſ
» ſe eſt,quod omnibus ſupereminet,ferri ad extremū regionis,
» in qua faciunt motum: extremo enim medium contrarium eſt;
» quod autem ſubſtat,ei,quod ſupereminet.quapropter &ratio
» nabiliter graue,& leue duo ſunt: etenim loca duo,medium,&
» extremum.

1988 Eſt igitur & inter haec medium,quod ad utrumque ipſorū
» dicitur alterum: quod enim intermedium eſt, ut extremum,&
» medium amborū eſt;ob hoc eſt etiam aliud graue, & leue, ut
» aqua,& aër:nihil enim prohibet ut inter contraria ſit unum,
» & plura,quemadmodum & in colorib. ſummè igitur contra
» ria igni Terra, Ariſtoteli.

1989 Oportet ut firmum quid ſtabiléq. habeat Caelum, circa
» quod moueri queat;Terram eſſe immobilem,& in medio poſi
» tam.quod enim circulo mouetur,neceſſariò circa medium ſta
» bile mouetur.

1990 Terra autem exſiſtente, & ignem exſiſtere neceſſe eſt: ſi
» enim alterum contrariorum naturâ,naturâ & alterū: ſiquidē
» eadem contrariotum materia,& prior eſt affirmatio negatio-
» ne,ueluti calidum frigido.

1991 Quies autem,& graue dicuntur iuxta leuitatis, & motus
» priuationem.

1992 Vbi extrema quaedam,prima praeſertim quae ſunt, in ſe
» ſe mutuò agunt, ſi neutrum exſuperat, alterúmq. in propriā
» agit ſubſtantiam id tertium cõſtitui uidetur, quod utriuſque
» medium uideri poſſit.

A ca-

1993 A calore,& frigore res omnes effici,corrumpíq. rectè Aristoteles.

1994 Caelum circulari mouetur motu.Est enim ipsi bonum mo
„ ueri,quàm manere,magis;quoniam operari magis,quàm non
„ operari.

1995 Aeterno autem corpori conuenientissimus circularis motus,qui neque principium habet,neque finem: rectè.

1996 Moueri igitur Caelum, quoniam proprium est ipsius,
„ opus.

1997 Neque hoc tantùm,sed esse etiam propter motum.

1998 Singula,quorum opus est,esse operis gratia: Dei autem
„ actio immortalitas;quia necesse est,diuino uitam exsistere sē-
„ piternam.

1999 Quoniam autem Caelum tale(diuinum enim corpus) pro
„ pterea habet circulare corpus,quòd naturâ circulo moueatur
„ semper.

2000 Moueri Caelū;ait;quoniam bonum appetit; id autē motu
„ consequi,& propterea diuersos orbes,diuersis moueri moti-
„ bus: non enim eisdem omnes bonum consequi posse. Qui locus ut Aristoteli uerè uisus est esse Deorum sedes, atque immortalium;sic nobis rectiùs,ueriúsq., unius & trini DEI,cum beata uirgine MARIA, sanctísq. omnibus immortale, sempiternúmq.domicilium esse,creditum,exploratúmq.factū est. quem ad locum coetúmq.eorum,qui sanctè uixerunt,& corpore laxati,eum incolunt, nobis quoque eandem, eadem uita, uiam insistentibus,aditus patefiat.

ANTO-

ANTONII PERSII

PROBLEMATA, CCCLXXII.

QVORVM QVAESTIONES SOLVET, ET AD INTERROGATA RESPONDEBIT LIBRO QVI PROPEDIEM EDETVR.

IVXTA SVAE PHILOSOPHIAE DOGMATA.

1 CVR vacuum, atque inane, ſummè auerſari, & pati omnino non poſſe natura uidetur.

2 Cur Caelum eiuſdem ſubſtantiae cum ſtellis, eſt ponendum.

3 Cur Caelum non, vt ſtellae, calefacit.

4 Cur nec lucet.

5 Cur nec omnino uiſile eſſe uidetur.

6 Cur Caelum iiſdem omnino uiribus, eadémq. ſtellis ſpecie donatum eſſe uidetur.

7 Cur nec aër, nec mare magnae mundi partes uideri poſſunt.

8 Cur ſolum Caelum, & Terra ſola, Mundi magnae partes.

9 Cur qui ſupra montium uertices continetur, aër, Caelo apponendus eſt.

10 Cur nō ſolùm magnae Caelum, & Terra, Mundi partes, ſed etiam primae, principéſq., hoc eſt, robore etiam uiribúſq.

11 Cur aſſiduè in aquas, grandinéſq., & niues craſſeſcit aër.

12 Cur non ſolùm Caelum, & Terra, uirium robore reliquis, ſed dignitate, & tempore praecedunt.

13 Cur Caelum, & Terra in ſeſe mutuò agendi; vtrumque uidelicet, alterum in propriam ſubſtantiam inuertendi; ui praeditum uideri debet.

14 Cur nihil uerè ſimplex, ueréq. unum eſſe uideri debet.

15 Cur e duplici natura compoſita omnia.

16 Cur non detur uera entis totius generatio, uel corruptio.

17 Cur ea natura, quae accedit, recedítq., nō una, ſed multiplex.
18 Cur natura, quae accedit, recedítq. agendi ui; alias ſcilicet e proprijs ſedibus eiiciendi, & ſeſe in illis generandi, conſtituendíue entia; ui praedita uideri debet.
19 Cur incorporea ſit.
20 Cur per ſe, nullíq. haerens corpori, ſubſiſtere, & eſſe omnino non poteſt.
21 Cur quae remanet natura, una eſſe omnino, atque eadem ui detur omnis.
22 Cur agentem nullam auerſata, neque exoſa.
23 Cur omnem ſuſcipiat, ſeruétq.
24 Cur nulla agendi, aut operandi ui ſuſcipiens natura, praedita apparet.
25 Cur perpetuò inter ſe decertant naturae agentes.
26 Cur non quaeuis ſedes cuiuis conueniat naturae agenti.
27 Cur plures eidem ineſſe ſimul minimè poſſunt.
28 Cur tenuitas non agere uidetur.
29 Cur neque craſſities.
30 Cur, ſi tenuitatem albedo inſequi uidetur, tenuitatis opus albedo non eſt.
31 Cur, ſi quae ſummè ſunt tenuia, prompta illa ad motum uidentur; motus tamen a tenuitate non emanat.
32 Cur lux non agit in tenebras, nec ex aduerſo.
33 Cur nec motus agere uidetur, nec contrà, immobilitas.
34 Cur tenuitas a calore fieri, & calorem inſequi, & caloris propria eſſe uideri debet.
35 Cur contrà, craſſities a frigore ipſo.
36 Cur, cùm a calore itidem dureſcere quaedam, & craſſeſcere uidentur, non utriuſque opus craſſities uideri debet.
37 Cur lux caloris propria, & ipſum ea inſequi, & a calore fieri uidetur.
38 Cur non a quouis calore ſumma ipſa, & uigens puráue; ſed a ſummo tantùm, & in tenui exſiſtente re.
39 Cur lucis naturae aduerſum, contrariúmq. frigus.
40 Cur caloris opus albedo item, & tenuitas.

Cur

41 Cur motus & ipse caloris summè proprius.
42 Cur immobilitas contrà, frigoris.
43 Cur motus a calore omnino, & solo eo, edi existimatur.
44 Cur calor motum natura, & dignitate praecedit.
45 Cur item & tempore calor motum praeire uideri possit.
46 Cur motus calorem facit.
47 Cur commotus ignis agitatúsq. accendi, uiuificaríq., motu verò prohibitus extingui, corrumpíq. apparet.
48 Cur calor adtenuare, & frigus contrà, gelare, compingeréue, & densare uidetur.
49 Cur calor, & frigus sese adeò exhorrent, auersantúrq., & sese mutuò oppugnare, atque interimere uidentur.
50 Cur a calore Caelũ, a frigore Terra cõstituta uideri possunt.
51 Cur nulla alia natura agens Terrae, nisi frigus, nec Caelo, nisi calor inesse uidetur.
52 Vtrum tale ens apud nos fieri posse uidetur, quale Caelũ exsistit, in seipsum conglobatum, conspissatúmq.
53 Cur natura quaeuis agens numquam agere cessat, sed uel similes, cognatásq. oppugnat, deturbátq.
54 Cur ab uno Caelo, & ab una Terra, tot tantáq. diuersissima, & plurima generari possunt entia.
55 Cur sol agens in Terram, in media priùs entia, postremò uerò in aërem ipsum eam inuertat.
56 Cur in maximis squaloribus, fontes copiosiores facti interdum uisi sunt.
57 Cur recedente sole, penitus deficere uisae sint aquae, nec a solutis niuibus, neque a pluuiis auctae ullis, incrementum capere uisae.
58 Cur sol nec perpetuò, nec iisdem aequè agit uiribus, cùm aequè a Terra distat.
59 Cur etiã tuberculi, & inaequalitas paene insensibilis Terrae, nedum montes, possunt Solis lucem, atque actionem impedire, quò minùs aequè iis agat uiribus in eam.
60 Cur diuersa possunt constitui entia ab eodem calore, &

quibus idem robore inest calor.

61 Cur in accedente, rectáq. Solis luce adeò languet calor, ut uix calidam sentias, quae in se ipsam collecta, uel igne ipso, exurit robustiús.

62 Cur eadem res, a calore eodem in alia, atque alia agatur.

63 Cur quaedam entia est uidere, quae ueluti ab utraque per uices agente natura, constituta uideri possint.

64 Cur deinde non utriusque simul ingenium, & utriusque uis, & natura omnino utraque ente in ullò, similare quod sit, & uerè unum, spectetur, aut inesse omnino possit.

65 Cur qui calor, quantúsue, quod nimirum caloris robur, & quae eius copia, & quae entia, in qualia inuertat, minimè inquirendum.

66 Cur tenuitatis, crassitieíq. discrimina omnia innotescere non possunt.

67 Cur crassities, tenuitásq., molis est materiaéue, & materiae omnino dispositio.

68 Cur & quae materia uerè crassa, crassa dici potest.

69 Cur tenuitas colorem non foedat.

70 Cur quod flectitur, omnino crassum non est.

71 Cur item quod extenditur, dilatatúrue.

72 Cur, & unde extensio fiat, dilatatióq.

73 Cur crassities nulla, nostra ui fieri potest.

74 Cur aqua gelata, crassa facta uideri non debet.

75 Cur crassities, tenuitásq. optimè sibi ipsis coire possunt.

76 Cur, si lentor, mollities, uiscositásq. purae agendae sint, a calore quouis, uniformis sit calor oportet.

77 Cur hae commodiùs a languidiore fieri uideri debent.

78 Cur aurum ab igne liquefactum, nihil, aut in sensile quid im minui uidetur.

79 Cur languidior, & uehemens calor e re omnino dissimilari, contrario ordine lentorem, mollitiem, uiscositatémq. faciãt.

80 Cur non omnia, quae e crassis tenuia fiunt, in medias priùs dispositiones agi non uidentur.

Cur

81 Cur uiſcoſitas, quae praeſertim e diſſimilari re fit, languentis magis, quàm uehementis caloris opus uideri debet.

82 Cur, cùm cuiuſque caloris fluor ſit oportet, & a uehementiore promptiùs fieri uideatur, a ſummo tamen fieri denegatur.

83 Cur aër, qui aſſiduè e terris educitur, eò is eſt tenuior, quò e magis frigidis, magíſq. obſtrictis, gelatíſq.

84 Cur quae a calore conſtituta ſunt, corrumpuntur tandem omnia.

85 Cur e mollibus, paluſtribúſq. terris craſſior perpetuò educi aër uidetur.

86 Cur ſal ex mari.

87 Cur fuligines ingenerentur.

88 Cur, ubi non tantis uiribus agit calor, nullae, aut multò pauciores fuligines fiunt.

89 Cur cineres fiant.

90 Cur nec materiae, rerúmq. ſimilitudo, nec caloris aequabilitas uera, ente in ullo concedi, haberíue poteſt.

91 Cur marina aqua, ſi craſſior fontanâ, calidior tamen apparet.

92 Cur, ſi omnes gemmae e fluoribus fiunt, tenuiores multò ſunt aliae, & perſpicuae, at non albae tamen: contrà, alia alba, & non perſpicua.

93 Cur uuarum ſucci nihil ampliùs concocti, albi futuri; diutiùs uerò cum propriis corticibus concocti, punicei fiunt.

94 Cur plantarum germina enaſcentia alba omnia, uiridia poſtea fiant.

95 Cur radices eorum perpetuò albae remanent.

96 Cur, cùm a ſemine conſtituta oſſa teneas, non gelato eo, a frigore dura apparent.

97 Cur fluores, e quibus metalla fiunt, nequaquam a frigore, ſed a calore omnino concreuiſſe uideri debent.

98 Cur metalla, quantumuis ſoluta, per ſe rurſus concreſcunt.

99 Cur aqua gelata, a calore ſoluta, per ſe minimè concreſcit.

100 Cur, quae a calore duritiem adſumunt, inaequabilia, durioráq. fieri uidentur.

Cur

101 Cur animalia, & plantae ab uniformi, & perblando calore, e materia ualde dissimilari, composita uideri debent.
102 Cur quaecumque generantur, a simili generari, ratio ab Aristotele numquam adsignari posse uidetur.
103 Cur neque satis eorum, quae e semine constituuntur, ratio ab ullo antiquorum, praesertim Aristotele est explicata.
104 Cur non ea tantùm a simili constituta uideri debent, quae eandem constituentibus externam speciem nacta sunt; sed ea itidem, quae specie quidem diuersa, dissimiliq.
105 Cur quae a sole constituta sunt, a simili facta uideri debent, & tamen penitus Soli similia, cognatáq. non sunt.
106 Cur quae e semine fiunt, cùm non e singulis corporis partibus id proueniat, & nequaquam iis praeditus sit partibus, quibus, quae ex eo constituuntur animalia, donata uidentur; a simili tamen facta, manifestè uideri possunt.
107 Cur ignis, qui motu, & durorum corporum adtritu fit, a simili fieri uideri debet.
108 Cur quod a propria cuiusuis factum est operatione, ab eiusdem substantia factum uideri debet.
109 Cur primorum corporum alterum in altero contineri oportuit, & sphaericũ Mundum factum, non in longum extendi, directúmq., & in altera ipsius parte Caelum locari, Terram in altera.
110 Cur Caelum non iisdem uniuersum, nec magnis donari uiribus oportuit.
111 Cur Caelum certis tantùm collectum, & robustiùs factum in locis.
112 Cur unico distinguendum fuit sole, & stellis reliquis.
113 Cur ab Astrologis duplex omnibus, & Soli ante omnes dandus fuit motus, uelocissimus alter, tardior pigriórq. alter.
114 Cur Caelum sibi ipsi copulatum, unitúmq. & unum omnino esse non oportuit.
115 Cur naturae agentes proprii boni, & propriae conseruationis; & proprii mali propriaéq. destructionis sensum, & faculta-

tem

tem insuper, studiúmq., quo auersari hoc, sectari illud queant; habere uideri debent.

116 Cur & ipse per se calor, & frigus ipsum per se, ubi robustiùs aduenit alterum, sese intro recipere, & colligere, & uires propterea sumere.

117 Cur sensu donata sint entia oportet omnia.

118 Cur plurima quaedam aufugere, & deferri ad quaedam, & recedentia insuper sectari uideas.

119 Cur propriae interdum naturae quaedam entia uim inferant oportet.

120 Cur calori exquisitior sensus, quàm frigori.

121 Cur furentes, & iracundi calidiores, graues uerò, & pigri cōtrà, frigidiores.

122 Cur senilis spiritus, quae odoratu percipit, multò exquisitiùs sentit.

123 Cur ualidas, & uigentes caloris, frigorísq. uires animal percipere in quauis corporis parte, languentes uerò easdem, & ueluti stertentes demortuásq. uix in una.

124 Cur odores, & lux in spiritum agere non possunt, sed ad ipsum ferantur oportet.

125 Cur entia reliqua proprias ut percipiant passiones, foramina eis non sunt tegumenti concessa.

126 Cur aeternum utrumque agens principium uideri potest.

127 Cur uniuersae materiae, & cuilibet eius portioni formas omnes, qualitatésq. inesse potentia, actu tamen semper unā. ridiculum est, & rem dicere, quam nulla concipere queas imaginatione.

128 Cur non omnino propria operatio entium censenda est, quam uel entium partes a propria abstractae uniuersitate, uel uniuersitates etiam ipsae, at a proprio loco, propriáq. operentur dimota natura.

129 Cur ignis aequè omnibus se ruari, & uiuificari, accendíq. uidetur omnibus motibus.

130 Cur non, si rectus modò, & ad superna proprius sit, naturalísq.

lísq., reliqui uerò alieni,contrariiq.aut diuersi.

131 Cur omnibus,quod circumfertur corpus, motibus moueri aptum,solo circulari mouetur, & circulari solo moueri gaudet.

132 Cur,si ignis immobilitate,in proprio gauderet loco, minimè tanto ordine, tantáq. a Caelo uolueretur uelocitate.

133 Cur Terra immobilis uideri debet.

134 Cur quod Terrae partes ui moueri uidentur, nec Terra ipsa, nec ipsae etiam partes natura moueri uideri debent.

135 Cur quae in proprio loco natura quiescere, & immobilia esse uidentur,sponte etiam sua ad illum deferri uisa, non proprio,& naturali motu deferri uideri debent.

136 Cur Terrae partes a proprio loco, & a propria abstractae uniuersitate, sponte delabuntur sua.

137 Cur eò uelociùs,quò maiores,& quò proprio loco propinquiores factae.

138 Cur uel propria immobile natura ferrum,uel motu ad medium gaudens,nihilo quàm Terra,minùs,ad superpositum magnetem, sponte sua ascendit.

139 Cur aqua,& terrestria quaeuis ferè & ipsa abstractũ, ascendentémq. sectantur aërem.

140 Cur in sublimi mansio, & sustentatio quaedam motum omnem praecedere uidetur, at contrà, sese sustinendi impotentia, immobilitatem subsequi.

141 Cur ignis ipse,& ipsae etiam flammae in crassiusculis accensae rebus,deorsum delabuntur omnes.

142 Cur,cùm Terra ueluti in sublimi sustineatur,moueri posse non dicitur.

143 Cur naturalis ille existimandus tantùm motus,propriúsq., qui perpetuò idem, nihílq. uel remittitur, uel concitatur umquam.

144 Cur quae assiduè illum motum concitant, non natura moueri uideri debent.

145 Cur quod quidam aiunt,grauium ad inferna motum, ideo

asi-

assiduè magis concitari, quòd simili, cognataéq. Terrae proximior factus lapis, propriae naturae, & propriae etiam grauitati, quibus ab alieno loco ueluti exutus fuerat, restituitur; absurdum esse putandum.

146 Cur quod alii dicunt; quòd scilicet minor subsit aër, & qui ita que findi possit; falsum itidem.

147 Cur absurda itidem, & uana omnino eorum ratio est, qui lapidis delapsum assiduè magis concitari ponunt, quòd assiduè a maiori aëris copia propellatur, deiiciatúrq.

148 Cur non propterea orbes, stellásq. igneas ponendas non esse, quòd, si tanta mole exsuperet ignis, reliqua omnia corrumpat, occupétq.

149 Cur stellarum, quae currere uidentur, uelocitas, & Solis albedo, non igneum Aristoteli Caelum ostendentia, potiùs igneum ostendant.

150 Cur stellae, quae currere uidentur, nec perpetuò, nec semper luceant.

151 Cur stellae ipsae semper luceant, & perpetuò.

152 Cur igneum esse Caelum, sensus manifestat.

153 Cur Caelum natura calidum.

154 Cur nulla alia a calore, uel frigore substantia entibus indenda.

155 Cur non ob id calorem substantiam non esse, quòd, accidentium more, nonnullis accedit, & ab iis recedit nihil immutatis.

156 Cur calorem, & frigus non propterea substantias non esse, quòd mutuò sibi ipsis opponantur.

157 Cur formae intendantur oportet, ac remittantur uel Aristoteli.

158 Cur eaedem magis, & minus recipiant.

159 Cur eiusdem speciei animalia, suae formae intensionem, remissionémq. accipere fatendum.

160 Cur organi ineptiam Peripatetici caussari in hac re non possunt.

161 Cur iidem, nec materiae seorsum incusare possunt maligni tatem.
162 Cur uerè exsistentes, & materiae immersas formas sub sensum cadere, & sensu percipi, Peripateticis negare non licet, non solùm omnibus.
163 Cur unica satis uisa oppositio est, ad rerũ generationem, neque alia addenda esse.
164 Cur nobilioris contrarii loco forma Aristoteli posita, ignobilioris priuatio.
165 Cur fieri non potest, ut uel rerum diuersitatis mutuaéue omnium in omnia inuersionis, uel generationis omnino, atque interitus caussam afferre possit, qui duplex non afferat contrarium, & ens utrumque.
166 Cur si, quattuor positis, duae erant contrarietates, utriusque separatim contrarietates naturam quandam mediam esse oportebit, superuacanea altera contrarietas erit.
167 Cur altera agentium oppositio, ad primorum corporum cõstitutionem Aristoteli allata est.
168 Cur cùm sol plantas quasdam, & quaedam etiam animalia, non, nisi e Terra aquis madefacta educat, & animalia ut seruentur, & aquis, quas hauriant, & aëre quem inspirent, opus habeant, non propterea prima ea corpora ponenda sint.
169 Cur nec si siccis interdum humida apponens, affingénsq., humidiora illa facit, propterea uel humiditas agere, uel siccitas, uideri debuit Hippocrati.
170 Cur nec calor, nec frigus propterea imminui uideri potest, quòd alteri alterum commisceatur.
171 Cur neque & humiditas, & siccitas & caloris, & frigoris, utraque utriusque materia uideri Aristoteli potuit.
172 Cur cùm Terra quid exhauriendo, inbibendóq. exsiccat, & aqua quid subeundo, cuíue se indendo, humefacit; nec hoc tamen humefacere est, nec exsiccare illud.
173 Cur lõgè humidissimus aër Aristoteli nihil a sole calefactus, uel

uel glaciem non liquefacit,uel ipsam etiam niuem.
174 Cur aqua modò eáq. infusa,immistáq., nitrum uidelicet, & sal, & si quae talia exsistunt,liquefacit.
175 Cur mel in frigidam coniectum, & concretum, spissatúmq. ab illa uidetur.
176 Cur lateres fornacibus superpositos soluit tandem ualens, & diuturnus calor,& cineres itidem,lapidésq.liquefacit,& in uapores etiam adtenuat.
177 Cur alienorum disgregatiuus est calor,similium uerò congregatiuus.
178 Cur non omnia a calore secernuntur;non si quidē pix a cera,sed illi immiscetur magis.
179 Cur quibus humiditas multa,calor inest exiguus;cuiusmodi aqua est,& quae aquea sunt,non penitus Aristoteli exsiccātur,sed concrescunt tantúm.
180 Cur nullo pacto prima corpora sibi ipsis contigua poni possunt.
181 Cur mare,aquae uniuersitas,& elementum Aristoteli uidetur,& uideri omnino debet.
182 Cur mare non propterea crassum,salsúmq.quòd tenuioribus,dulcioribúsq.sui partibus a sole spoliatum sit, & calida, siccáq.exhalatione commistum.
183 Cur non,si ad aquarum generationem conspissatio sola satis non sit,frigore etiam opus sit.
184 Cur e floribus,herbísq.odoratae eliciuntur aquae.
185 Cur balneorum laquearia aqua madere uideantur.
186 Cur uasa quaecumque,fumum emittentibus superposita rebus,madere aqua uideas.
187 Cur,& e quibus,e naribus diffluens, humor componi uidetur.
188 Cur ubi montes oppositi,pluuius ibi aër, caliginosúsq., & sub quo madefias semper.
189 Cur ad Arabiae mōtes,sub ardētissimo etiā,maximéq. sereno Caelo,repentinae,longéq.crassissimae fiant pluuiae.

190 Cur non ros modò nequaquam in ualde sublimi fit loco; sed pluuiae multae, aestiuae praesertim, & quae crassiores uidentur Aristoteli, & repentinae etiam, ac impetuosae.

191 Cur, si e Terra, frigida quidem ipsa, aquarum constitutio est, non dubitandum ne summè frigidae, nec frigidae omnino sint ipsae.

192 Cur aqua linguam non constringit quidquam; sed uel dilatat, uel nihil immutat omnino.

193 Cur frigida non uideatur aqua, quòd contacta plerumque talis sentitur.

194 Cur nec itidem, cùm epota, immoderatum interdum in animalium corporibus calorem reprimat, retundátq., & proprium etiam imminuat.

195 Cur copiosa in ignem iniecta, ipsum suffocat.

196 Cur in bitumine accensae flammae, nequaquam ab infusa aqua opprimi, sed nutriri potiùs uidentur.

197 Cur incendia summa nec ab infusis aquis ullis, sed a supposita sola extinguuntur Terra.

198 Cur aquam frigus in glaciem inuertit, crystallúmq.

199 Cur aqua motu seruari uidetur, & corrumpi ab immobilitate.

200 Cur aqua, ignis pabulum, Peripateticis dicitur.

201 Cur a calore summo, & ab eodem omnino, a quo ignis, aërem Aristoteli constitui uideri debet.

202 Cur humiditatis loco magis appositè tenuitas, & pro siccitate crassities ponenda.

203 Cur non solùm nobis; sed etiam Aristoteli ipsi, ignis omnium humidissimus uideri debet.

204 Cur aër aqua humidior Aristoteli etiam uidetur.

205 Cur cedere quaedam, & mollia esse, obniti alia, & dura uideantur, & quà caussa.

206 Cur si quid humidum sit, quid siccum, tactu dignoscendum.

207 Cur ascendens noster ignis diffundi non uidetur.

208 Cur ueluti in Pyramidem coire.

209 Cur ſiccus ignis neutiquam uideri debet.

210 Cur humida magis fortè, quàm ſicca ſibi ipſis coëunt, & a ſe ipſis ſegregari exhorrent, auerſantúrq.

211 Cur igni figura Pyramidalis minimè ſit danda; ſed potiùs ſphaerica.

212 Cur Terrae partibus magis Ariſtoteli proprius Terrae locus uidetur, quàm Terrae uniuerſitas.

213 Cur falsò Terrae, atque igni commune praebens Ariſtoteles principium, rectè tamen utrique principatum tribuit.

214 Cur ignis nullus ab aëre inuerti uideri poteſt.

215 Cur Terra itidem nihil omnino ab aëre pati uidetur.

216 Cur neque aquam, uel ſuccum omnino ullum in propriam agere naturam uidetur aër.

217 Cur ignem aqua in aquam agere, frigus nimirum illi indere, & craſſiuſculum facere uiſa eſt numquam.

218 Cur minùs etiam Terram aqua inuertit.

219 Cur neque aërem inuertendi potens aqua uideri poteſt.

220 Cur nuſquam ex igne, & aqua Terram uideas conſtitui, neque ex aëre, Terráq. ignem.

221 Cur ex igne, & aqua aër, & ex aëre. & Terra aqua potiús.

222 Cur ſingulis aliis corporibus, primorum corporum omniũ naturas omnes ſimul indere, falſum.

223 Cur non, quòd ſecundorum corporum partes ſingulae in ſingula prima corpora inuerti poſſunt; propterea haec illis ineſſe declaratum Ariſtoteli uideri poteſt.

224 Cur, ſi ex unica re conſtituta entia, & non e primis omnibus corporibus; in res tamen corrumpi poſſunt, quae illis ſingulis ſimiles uideri queant.

225 Cur quaedam humore effluente diſrumpi uidentur.

226 Cur eadem non a calore quouis concidunt, dilabuntúrq. ſed a robuſto tantùm, uehementérq. agente.

227 Cur eadem a moderato, & a magno etiam, at languidè primò agente, uel omni ſpoliata humiditate, nihil diſſolui uidentur;

tur;sed longè duriora.
228 Cur quibusdam admista, admiscetur, coítq. aqua illis, & unum illis facta, ueluti uiscus, & gluten quoddam sit.
229 Cur, & si aliquas ignis partes a Caeli motu commotas, deuolui, & deiici, detur Aristoteli; non tamen ut ad Terram delabantur, dari potest.
230 Cur nec a Caeli motu ad maris fundum, uel profundiores Terrae partes deiici ignis uideri debet.
231 Cur nec stellarum ui, ac uirtute.
232 Cur nec illarum uoluntate.
233 Cur siccitatem non frigoris modò, sed caloris itidem esse limam, falsum.
234 Cur efficientes caussae iis, quae formae, & iis itidem, quae finis sunt, eaedem in naturalibus uideri debent.
235 Cur, cùm quaecumque constituta sunt, corrumpi, interiréq. uideantur, pati ipsum principium agens, manifestant.
236 Cur utrumque principium agens obliquae lationi attribui non potest, ut Aristoteles.
237 Cur falsum, solem accedentem, generationis; recedentem uerò corruptionis caussam, dicere.
238 Cur quò magis sol recedit, eò etiam generare magis uideri debet.
239 Cur ubi diu directus imminet sol, nullus ibi, aut perrarus emanat fons.
240 Cur item planta nulla exoritur, quae passim in temperatis fit regionibus.
241 Cur sole directo non areat aequinoctialis regio; quin temperata, & beata appareat plaga.
242 Cur alia plaga, quae non longe ab illa abest, & quae quasi media est, temperata.
243 Cur areant omnia, squaleántq. ultra tropicum.
244 Cur quae apud nos contrita incalescunt, solida sint o-

Cur

portet.

245 Cur sublunaris aër a sole incalescere uideri non debet, quòd ab eo conteratur.

246 Cur aër, uel angusta inclusus in re, & quantumuis contusa ea, conuerberatáq.; calorem tamen adsumere nullum uidetur.

247 Cur ut sol, ignis partes detrudat, & ad nos usque deiaculetur, & hoc pacto aërem accendat, falsum uideri debet.

248 Cur sagittae per aërem delatae, ab ipso priùs calefacto incendi, liquaríue non uideri debent.

249 Cur, & si calefieri queat a caelestium latione contritus aër, a luna calefiat tamen magis, quàm a sole.

250 Cur, ea ratione sublunarem aërem nil eum contingens sol conterat, qua Torpedo in retibus deprehensa, piscatorum manibus torporem infert, falsum uideri debet.

251 Cur, si nihil retia torpere uideantur, nil dubitandum, quin Torpedinis actio, qua piscatorum manus torpent, retibus priùs communicata sit, atque infixa.

252 Cur si sol aërem minimè conterat; at uires tamen, & quasi robur suppositae orbium parti subministret, & ueluti densitatem communicet, figmentum uideri debet.

253 Cur calor in meridionalibus terris longè, quàm in borealibus, & per aestatem, quàm per hiemem, & sole medium Caelum tenente, quàm uel exoriente, uel occidente.

254 Cur itidem in aëre crassiore, quàm in tenuiore.

255 Cur in planis, atque humilioribus terris magis, quàm in adcliuibus, editísq.

256 Cur & in concauis, quàm in planis.

257 Cur & in solidis, densísq., quam in apertis, laxísq.

Cur

258 Cur & in aequabili, tranquillóq. mari magis quàm in fluctuante eo agitatóq.

259 Cur magnus itidem in lacubus, stagnísq.

260 Cur summus ubi densum quid, & quod lux permeare minimè posſit, luci opponitur.

261 Cur & eò ampliùs, si id leue sit, tersúmq., & concauum.

262 Cur & nihilo fortè minùs, ubi solida quaedam, rotundáq. pertransit lux.

263 Cur non propterea obliquus, directúsq. dicitur, aut uideri potest sol, quòd alia e parte, rectà agat, non rectà ex alia.

264 Cur lux, quamuis rem subiens, non ei ut propriae haerere uideri debet.

265 Cur quae e speculis concauis resilit lux, adeò fit robusta.

266 Cur uitrum, & aquam permeans lux, illa quidem debiliter calefaciat, at ualentiſsimè quae adtingit, elapsa ex illis.

267 Cur non aeque calefiant, quae sol non collustrat, àc quae collustrat.

268 Cur si motus proprius caloris, & summè ignem oblectat, seruátq. ei nec inhaerens, nec illum perficere uideri potest.

269 Cur si calor a non calido motu fieri potest, eius exemplo a non calida luce calorem fieri posse, non sit uerum.

270 Cur qui irritari a reflexione lucem, & irritatam, calefaciendi uires adsumere adserunt, falsum.

271 Cur aërem calore a luce donari, quòd tenuitate, proprio caloris subiecto, donetur, adserere, falsum.

272 Cur lucem Solis propriam esse, ueluti & ignis.

273 Cur, si summus in sole calor uiget, lucem non explicet omnem.

274 Cur, si densus appareat sol, non ex solo componatur igne; sed e Terra etiam, a qua soliditatem habeat, ut Timaeo,

maeo Platoníq. placuit, falsum est adserere.

275 Cur Caelum mouetur.

276 Cur idem circulari moueatur motu.

277 Cur longè fortè orbibus calidior uisus sol, minùs fortè uelociùs moueri opus habet.

278 Cur idem Solis, qui orbium est, calor omnino uideri debet.

279 Cur & ubi sol ipse per se, & longè quidem rapidissimo circumuolui uidetur motu.

280 Cur luna non circumuoluitur.

281 Cur, animalium totorum motus exemplo, simplicia, ac similaria quae sunt, ab alio ab ipsis distincto separatóq. moueri, declarare non licet.

282 Cur ignis, & multò etiam quàm animalium magis, propriùs motus uideri debet.

283 Cur absurdissima, & peruersa insuper Aristotelis ratio, qua propterea ignem a se ipso moueri abnegat, quòd motum, subsistendi facultate praeditus non est.

284 Cur quaedam motum sistere uidentur, quaedam numquam.

285 Cur falsus Aristoteles, qui uni & mouendi, & a motu cessandi principium indat.

286 Cur ignis hîc recto solo moueri uidetur.

287 Cur & omnibus ipse moueri posse, & omnibus gaudere, & ad cognata delatus, non recto ampliùs, sed circulari moueri uideri debet.

288 Cur animalium spiritus multis mouetur, uariísq. motibus.

289 Cur quàm longissimè abest, motus ut passio uideri possit. propriùs qui exsistit, naturalísq.

290 Cur, & quis motus, passio ut sit, nihil uetat.

291 Cur & locus quae continet seruare uidetur.

292 Cur quodlibet, proprium locum appetere, ad eúmq. promptè ferri uidetur.

293 Cur non in aliud actio uideri potest motus.

294 Cur mobilia quae sunt entia, nequaquam efficiens motus sui, nec faciendi omnino in se ipsis principium habere, sed patiendi tantùm, falsum.

295 Cur ratio alterationis, immutationísq. propria, minimè motui conuenire potest.

296 Cur, & in quibus mouere, & moueri idem; deferri uerò, & deferre non item.

297 Cur locus ad entium substantiam, perfectionémq. nequidquam conferre uideri debet, nec per se ab entibus expeti.

298 Cur non, si animal ab anima, & corpore, ut e forma, & materia compositum sit, non totum ipsum moueri; sed eius partes ab una quapiam, & immota ea, declarare umquam possit Aristoteles.

299 Cur, nec, si anima corpori insit ut nauta naui, illud idem declarare umquam ualebit.

300 Cur, si finitum cùm sit Caelum, infinito sit tempore, & a motu cesset numquam.

301 Cur falsò Aristoteli, suísq. animatum uisum est Caelum.

302 Cur non e duplici substantia Caelum, & ex immobili altera, ueluti animalia, compositum uideri debet.

303 Cur Caelum spiritus substantiae quàm simillimum.

304 Cur eo moueri Caelum, quo animalium corpora mouentur a separata, immotáq. substantia, ne ipsi itidem Aristoteli placere potest.

305 Cur qualecumque exsistat Caelum, minimè tamen, animae ritu, ob ullius uel appetitum, uel odium moueri uideri potest.

306 Cur falsò Caeli motus caussam efficientem, & finalem inquisierunt Peripatetici.

307 Cur non moueri Terram, quòd bonum consequi non possit, absurdum.

PRO-

PROBLEMATA.

DE SOMNO.

308 CVR homo, dum somno detinetur, ueluti demortuus apparet, sensu omni, omníq. externo destitutus motu.

309 Cur uel dum dormit, a paullò uehementiori contactu, sonóq., & paucis omnino dormiens horis, per se expergesit, & ueluti reuiuiscit, sensu restitutus, motúq.

310 Cur & qui dormientibus, internis in partibus fiunt motus; pulsus nimirum; in somni quidem initio (si Galeno credimus) minores fiunt, languidiorésq. tum etiam & tardiores, rarioresq.; postea uerò tarditatem pedetentim augent, & raritatē.

311 Cur praesertim a cibo, ac maiores fiunt, uehementiorésq.

312 Cur deinde si diuturnior fiat somnus, ad remissionem, & paruitatem redeunt, tarditatem, & raritatem retinent.

313 Cur ubi somnus cessat, euestigio magni, uehementes, celeres, crebríq. fiunt, & cum quadam etiam uibratione.

314 Cur mox mediocritatem adsequuntur.

315 Cur somni itidem initio externae corporis partes frigent omnes.

316 Cur facies liuidiores, decolorésq., & pallidiores fiunt.

317 Cur deinde somno progrediente & partes incalescunt, & facies propriam speciem recipiunt.

318 Cur concoctiones omnes, digestionésq. praestantiùs in somno, quàm in uigilia fiunt.

319 Cur & profundis quidem in somnis, insomnia aut non fiunt omnino, aut ualde confusa, interruptáq. fiunt.

320 Cur in fine somni multa, benéq. distincta.

321 Cur sint qui, dum dormiunt, loquantur quidem, moueantúrq., & nullam dictorum, factorúmq. memoriam retineant.

322 Cur labores uehementes, diuturníq. motus somnum facere uidentur.

323 Cur & ira.
324 Cur laetitia.
325 Cur spes.
326 Cur uenus.
327 Cur & inedia, uigiliáq.
328 Cur & nimii, uel uaporosi flatus, lentíq. cibi.
329 Cur potiones nimiae, uel exiguae, at flatulentae.
330 Cur febrium accessiones.
331 Cur cogitatio.
332 Cur item lectio.
333 Cur tristitia, & timor.
334 Cur quilibet lenis, iucundúsq. sonus.
335 Cur & lenes titillationes, contrectationes, frictiones, leuísq. agitatio, & motus denique lenis, blandúsq. omnis, & circularis itidem.
336 Cur tenebrae.
337 Cur silentium.
338 Cur denique & ipsa etiam uoluntas.
339 Cur cerebrum praeterea uel confusum, uel tumefactum, uel crassis, frigidísq. oppletum uaporibus, & magis etiam humoribus.
340 Cur pluuiae, atque hiems.
341 Cur somniculosi, qui frigidis laborant morbis, capitis praesertim, cerebríq.
342 Cur & iidem, qui palustria incolant loca.
343 Cur pueri.
344 Cur feminae diu somno detinentur.
345 Cur contrà, insomnes calido homines corpore.
346 Cur qui calidis laborant morbis.
347 Cur & qui calidas, siccásq. incolunt terras.
348 Cur & senes.
349 Cur animalium spiritus summè sentiens, summéq. mobilis, & summè motu oblectari uidetur.
350 Cur animalis spiritus a sonis mirifica afficitur uoluptate.

351 Cur qui, ſpiritus portioni ubiuis exſiſtenti datur motus, ad uniuerſum is ſpiritum, quacumque in parte exſiſtentem, deferri uideri debet.
352 Cur aëri per nares ad cerebri uentriculos patens facta eſt uia.
353 Cur itidem & uaporibus per oeſophagum.
354 Cur animi deliquia fiant.
355 Cur externae corporis partes calēt in laetitia, rubéntq. oẽs.
356 Cur & non oculi in laetitia modò grãdiores, multóq. etiam ſplẽdidiores, & magis uiui apparẽt, ſed os etiã ipsũ uniuerſum.
357 Cur in triſtitia contrà, timoréq. frigent, albéntq. externae partes, & oculi minimi, atque obſcuri, languidíq., & os itidem imminutum apparet, & ueluti demortuum.
358 Cur ſomnus animalibus tributus; & quare Ariſt. & Galeni ſententia reprobata.
359 Cur ſi ſpiritus ſui natura mobilis, & a motu robur ſumere uideri debet, motu ipſo defatigetur imminuatúrq.
360 Cur pulſatio, ac reſpiratio animalibus tributa eſt; falſa tum Ariſtot. tũ Galeni de pulſus, & reſpirationis uſu uiſa ſentẽtia.
361 Cur imperfectéq., prauéq. ſomni cauſſas explicatas fuiſſe ab Ariſtotele uideri debet.
362 Cur ſomnũ facultatis a cerebro emanãtis, & caloris influẽtis abſceſſu fieri, ut Galeno, aliíſq. placuit, falſum uideri debet.

HEBDOMAS.

363 Cur Ariſtoteles, ſi in numeris nihil eſt momenti, partus ſeptimo, ac nono menſe uiuunt, octauo numquam.
364 Cur ſeptem planetae, nouem orbes.
365 Cur illiorum ad hominis longitudinem ratio ſeptuplex.
366 Cur dies ſeptimus inediã necat.
367 Cur lunae mirabiles cõuerſiones ſeptenariis omnino cõſtãt.
368 Cur ſeptem neruorum paria.
369 Cur Philomela ſeptẽ dies, totidémq. noctes aſſiduè nouem diſcrimina uocum ingeminat.
370 Cur ſapiẽtiſſimus Moyſes, & prophetae omnia paene oracu

la

la ſeptenariis concluſerunt. Celebritates ſeptimo die, ſeptima hebdomada, ſeptimo menſe indictae : ſeptimo anno agrorum quies, ac ſeruorum manumiſſio.
371 Cur poſt annum ſepties ſeptimum a Deo optimo max. Patribus indictus eſt magnus Iubileus.[a] qui in hoc anno celebratur, ſedente pontifice maximo, beatiſſimóq. Gregorio XIII.

a Leu.25.

372 Cur denique ſeptenarius euripi fluxus, ac refluxus, ARISTOTELEM ad furorem, uel, ut alii, ad praecipitium adegit?

Quia non ceperat ARISTOTELES euripum
Euripus ARISTOTELEM dicitur cepiſſe.

ORATIONES TRES,

TRIBVS ILLIS DIEBVS HABITAE A GASPARE ZENVCHINO, CV'M HAS ANTONII PERSII POSITIONES TVTARETVR.

ORATIO PRIMA.

MAGNI interesse, semper existimaui (Auditores praestantissimi) illum, qui suum animum ad aliquod studiũ adiunxit, ut ad quem sibi statuit, sapientiae gradũ perueniret, quo ingenio, quáue mente id faceret, omnium optimè, primúmq. cognoscere & contemplari. quod cùm is facere neglexerit, quid in vita laudabile sit, quid item opus facto uideri possit, ignorare se fateatur necesse erit. Sicuti enim permultos excellentes ingenio, ac doctrina viros, litterarum studia exercuisse, litterae, quas uel ipsi, uel de ipsis alii, posteritatis memoriae consignarunt, abunde declarant: sic quoque illos partim ex uitae suae cursu, partim autem ex ore, uel scriptis etiam suis, non unam eandémue ob caussam ad humanarum, diuinarúmq. rerum cognitionem se contulisse, intelligimus. quosdam enim litteras coluisse accepimus, propter actionum, quae sine his frigent, paenéq. exanimes degunt, operaepretium quoddam; eosdémq. si, omissis iis, opibus, amicis, honoribus, imperiisq. florere se posse nouissent, ne summis quidem eas digitis contacturos fuisse: Alios item cum musis versatos, ne amusi haberentur; auctorum peruoluisse scripta, libros contriuisse, dicta illorum, memoriae mãdauisse, quò, dum uiuerẽt, haud inferiores aliis doctrina, dum ad exitum declinarent, uoti sui compotes decessuri sibi uiderentur; omnia se consecutos existimãtes; quae quidem in homine bona dici possunt, cùm aliorum scripta quid sibi uellent, intellexerint, ueráne, an falsa essent, nihil alio qui curaturi: Fuisse item alios, quorum ad virtutem excolendam

non praemiis incensa cupiditas; ad cognitionem scientiarum consequendam, non admirationi ceteris exsistendi spe, uel inferiores aequalibus uiuendi, inuidia perculsus animus fuit; verùm quia sese homines esse cognorunt, hoc est, animal illud spectabile, cui cum Deo, rationis est societas; quíq. cùm ad hunc Mundum contemplãdum orti sint (vt inquit Cicero) semper in promptu habere debeãt, quãtùm natura hominis pecudibus, reliquísq. bestiis antecellat (Illae enim nihil sentiunt, nisi uoluptatem, ad eámq. ferũtur toto impetu: hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit, aut agit, videndíq. aut audiendi delectatione ducitur) debere se dispicere animaduerterũt, & sentire quid simus, & quid ab animalibus ceteris differamus, eáq. tum insequi incipere, ad quae nati sumus. Cũ enim ab illis, hoc uno, plurimùm discrepemus, quòd rationem habeamus a natura menti datam, mẽtémq. & acrem, & vigentem, celerriméq. multa simul agitantem, & (ut ita dicam) sagacem, & quae caussas rerum, & consecutiones uideat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum praesentibus futura copulet, omnémq. complectatur uitae consequentis statum: Cúmq. eadem natura cupiditatem ingenuerit, ueri inueniendi (est enim naturâ sic generata uis hominis, ut ad omnẽ veritatem percipiendam facta uideatur) his initiis ducti, omnia uera diligere, idest, fidelia, simplicia, constantia; tum uana, falsa, fallentia odisse debemus. Tales igitur in eam curam, & cogitationem omni diligẽtia, & studio incubuerunt, ut quàm multa discerent, & fideliter, & verè cognoscerent: & non tam aliorum industriã in scribendis reb. admirarentur, quàm illarũ ueritatem amplecterentur: in quo laus omnis, a nobis exactae uitae consisteret, cuiúsq. maior cumulus fieri nusquam posset ab hominibus. Quarum cogitationum (cùm esse solam aliquam atque unicam necesse sit, quae excellat, & quae aliis dominetur) quae praeclarior atque praestantior, hoc est, quae dignior homine uideatur, si me roget aliquis; illam certè, respondebo, quam sequor; quae cuncta mea cõsilia moderatur, actionúmq. mearum unica dux est, & gubernatrix: in cuius manu denique tota consistit ratio meae, ac moderatio uitae: illam, inquam, mihi uideri inter omnes alias familiam ducere; méq. ita existimare, praeter

ceteras mirificis laudibus esse ferendam: probent modò alii, amplectantur, foueant quidquid animo suo collibitū fuerit. me quae diu habuit uolūtas, & mens erga studia litterarum, eadem nunc habet, habebítq. quoad uiuam, dum non aliam hac laudabiliorem inueniri comperero, ut ad illam rursum, istac relicta; meo functus officio; conuertam animum, ad quam omnium laudabilissima ratio me traduxit. Quae sit autem, & qualis ista cogitatio, quae mihi complacita est, de tribus illis, quas antè proposui, nunc dabo paucis. Primùm autem quaeram a uobis, an cuiquam uestrum est dubium, supremae gloriae fructum homines apud omnes aetates, nationésq. retulisse, cùm hi suum munus lautè, ac sapienter administrarunt? Mihi quidem sic est sententia, cùm quisque id, quod sui est officii, strenuè exsequitur, omne tulit punctum: operámq. suam cum maiori fruge collocare nec debuit, nec uerò umquam potuit: Nostris autem in animis a natura ipsa quaedam insita fuisse cupiditatis sciēdi, semina, eáq. igniculis fota quibusdam, & aculeis armata, ac circumsepta undique; quò animum nostrum perpetuo stimulo sollicitum redderēt, ad eorum, qui praestanti doctrina sibi nomē immortale pepererunt, aemulandam diligentiam, laborésq. subeundos in exquirendis, ac peruestigandis his, quae posita sunt in industria, ingeniíq. ope, corporísq. vigiliis comparantur; quot quot ipsa, cuius adipisci cognitionem auemus, rerum faciens obtulerit; nec uiri sapientissimi dubitarunt, & res ipsa, diésq., qua rerum humanarum consilia, actiones, operationes, & illarum exitus ex occulto in apertum producuntur, atque produntur, optimè declarant. Quòd si aliquis ita se comparet, ut ea, quae maximi homines in usum posteritatis explicarūt, attentè perdiscat, memoriaéq. sedulò, diligētérq. committat, simul usque eò cogitatione, ingenióq. procedat, ut explicando multa, quae latent abstrusa, atque abdita in immensitate naturae, quaéq. ueteres ipsi non uiderunt, perspiciat, obseruet, atque, olim a natura, hominum cognitioni denegata, ab illorum oculis remota, nostris, uel nepotum nostrorum temporibus peruulgata, ipsa non inuita referet natura; cuius dono consecutus sit, ut sua longè ueterum sollertiae industria antecellat, & innumera, quae peccauere illi, sic esse animaduertat, & quae ipse ingenuè sentiat,

ueluti meliora, cum aliis communicet; nónne Spartam hunc ſuam humanam, pulcre, & cumulatè ornaſſe, atque etiam exornaſſe confitebimur! Similem ego uiam inſiſtere coepi, de qua ne ueſtigium quidem ſum diſceſſurus, hoc auctore Antonio Perſio, quem imitari, quantum in me eſt, conor noctésq. & dies, an adſequi umquam poſſim, neſcio; uoluntas certè deerit numquam. Quod cùm facio, meum officium facio, ſi conari pergo illa, quae me ratio docuit; ad quae natura impulit, uerae, & immortalis gloriae fructus pellexit, uirésq. ſuas bona, quae mihi fortuna elargita eſt, abunde, diis gratia, ſubminiſtrant. Interim autem uenit in mentem mihi illorum ſtultitiae, qui ſic exiſtimant, atque obſtinatè pronunciant, nullas res ab antiquis ignoratas, nullas item noſtra memoria inuentas, ac perpolitas fuiſſe: immo id genus hominum eſt, qui, pecudum more, ea tantùm, quae pedibus teruntur, quaéq. praeſentia ſunt, intuentur; nihil altum ſuſpiciunt, nihil, niſi quod laudari ſentiunt, laudant; nihil, niſi quod repudiari uident, exagitant; noua nec afferri, nec inuentis addi aliquid, uolunt; alitérq. quàm de magiſtris ſuis acceperunt, pronunciare, religionis iis eſt: de quibus uerè illud dicatur, Ait, aio, negat quis, nego. Ii cùm incidunt in eiuſmodi ingenia hominum, quae largitate, ac benignitate naturae nihil non adſequi, in nullóq. non promouere ualent, quocumque ſe applicent, quaéq. elegantiùs aliquantò, quàm ceteri uulgò ſoleant, de ſcriptis ueterum ſententiam ferre conſueuerũt, heu quàm ringi, atque animo incitari ſolent! quae probra, quae maledicta coniiciunt in id genus, quotidie obſtrepentes, Ne quid nimis: nimiùm enim ſapis, qui doctiſſimum quemque in ius uocare non uereris: Odioſe ceſſa: Víſne tu homuncio philoſophorum ſectas conturbare! Inanem hercle certè operam ſumis: Tua ſine dubio iocularis haec audacia in neruum erũpet denique; & ſexcenta huiuſmodi, quae ſine uehementi dolore nequeo recenſere, in eum uidens locum res atque rationes noſtras rediiſſe, ut addicti placitis, & aliorum dogmatis, intollerabile ſeruitutis iugũ noſtris ceruicib. ſuſtineamus. Verúmne ergo erit, praeclara ingenia, quae, noua excogitando, uel errata aliorum animaduertendo, ſpecioſiſſimos doctrinae fructus produxerunt, ſummae laudis, & gloriae lo

co,

co, haberi ludibrio quorundam factis, ac aliquot, immo plerorumque maleuolentissimis obtrectationibus in dubium uenire, ne de uetere sua, praeclaráq. sententia depellantur! Nam quae haec est inscitia, cuncta referre ad antiquos homines, nostris omnia detrahere! quasi uerò naturam habeamus iratam, nostráq. condicio sit longè ueterum condicione deterior. At ego sic animam induco meum, naturam sicuti nullum tempus fieri passa est, in quo omnia omnibus essent aperta, atque in illustri quodam loco sita, uerùm indies unicuique aetati ueluti eximium quoddam beneficium dare, quo reliqua tempora caruere, alteri item detrahere quod in aliis aetatibus praecipuum fuit, atque in honore uiguit; Ita quoque nullum tempus uacuum esse fuisse insigni quodam honore, ac laude praeter cetera. Quod si uerum est, quid restat, nisi porro ut inanes, ac leues, & in summo sint mendacio, qui monstri simile esse putant, inueniri aliquem aetate hac nostra, qui ingenio polleat, & priorum philosophorum academias, noua gymnasia erigendo, aequet solo, ueriorá q. comportando, scripta illorum euanescere, auctoritatémq. ad paucos recidere, sit in caussa, quò solertiam antiquorum, & sapientiam philosophorum sequi nostram non passib. aequis; ut sic dixerim; sentiamus, nedum temporibus illis suos Platones, & suos Aristoteles, suósq. Xenocrates inuideamus; naturámq. nobis id gratiae libenter dedisse credamus, ut in nonnullis ueritatis semitã reperiremus, a qua longè antiqui illi delirauissét. Quamquam satis uerborum fuisse puto de re huiusmodi illis, qui rectum sensum in remp. litterariam numquam deposuerunt: iis autem, qui uel interruptum, aut aliquorum oppressum atque afflictũ iniuria habent, paucis aliis, quae dixi, concludam. Constare igitur puto uobis uniuersis (Auditores praestantissimi) ualde ineptam uideri mihi rationem illorum, atque absurdam, qui sic addici in seruitutem Aristotelis (lubet enim hunc mihi in exemplum aduocare: cuius discipulos, Peripateticos appellatos, qui norit, aliorum Praeceptorum in aliis facultatibus asseclas optimè norit; cùm in eodem ludo probè instructam ad seruiendum maximam illorum partem uideã, qui in ceteris disciplinis operã suã consumpserunt) sic mãcipio, & usu fieri Aristotelis velint, ut in unius hominis uolũ

tate,

tate, ac uerbis tota philoſophia collocata ſit, atque ex unius uiri fortuna cunctae uniuerſorum ordinum, & condicionum fortunae pendeant: quaéq. ſi eueniat ut naufragium faciat, uel extinguatur denique (cur enim id non demus, aliqua temporum iniuria, ut lubrica ſunt humana, ipſius monumentis, quod aliis euẽnit, cadere poſſe!) de fortunis noſtris iam actum, & conclamatum erit. Eia igitur proferre iam liceat philoſophiae pomerium, ne tam exiguo Ariſtotelicae ſectae ambitu concludamur, aut ulla temporis circũſcriptione placita noſtra terminentur. De me hoc habeo dicere, meam rationem ita ferre, vt nemini addictus ſim: omniúmq. ſententias, auctoritates, & uerba, ſtatim atquè contra rationem parata ſentiam, ex animo (vt Lucretius ait) exputurus. Quòd ſi nimiùm audax uobis fortè uiſus ero, quid mea id! eſto. Mihi certè adhuc ſtat ſententia, dum ad inueniendam, & peruestigandam ueritatem animatus ſum, ſi poterit fieri, ut credant omnes, alias res non agere me, quàm id, quod ab initio ſum profeſſus, illis immortalem hercle gratiam habebo, ac mecum ipſe magnopere laetabor: Sed ſi id, ut eſt hominum quorundam obſtinatus animus ad credendum, non quirit fieri, & ſi dolore afficiar, atque hoc permoleſtè feram, ſino tandem ut me clamitent ſycophantam, omnéſq. inimicos eos habere ſtudentem, qui modò apud ceteros quantiuis pretii ſint, uel fuerint; qui tamen (grauiori enim uerbo uti neceſſe eſt) longè priores partes habent, quàm ipſa ueritas; cuius tenẽdae gratia, ad quos temere nunc habemus, nullum ſanè reſpectum habere deberemus. Illius itaque reuerentia commotus, atque auctoritate fretus, has propoſitiones, quae, Perſii collectae induſtria, lucubrationibúſq., ad diſputandum a me proponuntur, in publico omnium conſpectu exhibui diſcutiendas, perpendendas, examénq. tot clariſſimorum, elegantiſſimorúmq. ingeniorum ſubituras. Cùm autem ego ſola ratione fultus, atque armatus in medium proceſſerim, ſed ea ratione, quae de, ſenſu perceptis rebus proficiſcatur; uos orare uelim, vt eadẽ ratione armati, ſi placet, accedatis; nũquam enim futurum eſt, ut aufugiã dũ uita aderit. Quòd ſi quis alicuius magni uiri ſentẽtiam, in rem ſuam ſibi aduocarit, hanc, in noſtra uoluntate, accipiamus, nécne, ſitum erit: alioquin is, quicumque eſt, valeat quàm

poteſt

poteſt,nobiſcum certè non pugnabit. Video me ſuſcepiſſe magnũ fortaſſe onus,& mihi periculoſum;in quo omnes neruos aetatis,industriaéq.meae contendere debeam. Fateor. Tantò igitur mihi eritis clementiores,ſi ego illi,quam de me uobis excitarim, opinioni impar ero. Agite ergo praeclara ingenia,quaecũque hic adeſtis, meae,ueſtraéq.periculum factura uirtutis,ad arma cõclamatũ eſt. Veniendum ad manus. Iam-dudum in dubiam ſeruitii,imperiiq. aleam tot & tantorum uirorum itur, praecipuè uerò praeſtãti, ac ſingulari doctrina,tot iam voluentibus annis, clari illuſtriſſimíq. Ariſtotelis: de quo nunc certè uidebimus,an ſedulò dici poſſit id, quod de maximo imperatorum eſt celebratum

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris

Atque hîc finem dicendi facio,ne longa oratione pluſquam ſatis eſt,diem conſumamus. DIXI.

ORATIO SECVNDA.

HEſterno die(Auditores praeſtantiſſimi)longiori oratione, conſilium noſtrum quod eſſet in ratione diſcendi, enarrandíq.auctores diſciplinarum, non tam leuiter memorauiſſe me,credo,ut illud non tenêre ſatis probè ualuiſſet is,qui ad ea, quae dixi, animũ adieciſſet ſuũ; qui non adieciſſet,non me leuiter id,uerùm ne dixiſſe quidem, neque uerbum feciſſe ullum,putem.Si cui parum igitur attẽtè in aures acceſſerunt,duobus uerbis concludam nunc, ut quid uoluerim ſciat. Me,ſcilicet,libertatem ingenii requirere in hauriendis atque imbibendis doctrinarum fontibus: omnéſq.ſenſus in conſilium adhibendos,ut id,quod tabella plurium approbarit, ratum & firmũ habeatur;nulla uis,nullus metus noſtris fucum faciat ſenſibus, vt aliter quàm uiderint,iudicent,ſecus quàm iudicauerint, loquantur.Hanc me habere opinionem,eámq.nõ minuiſſe me,neque minuturum umquam,& tum dixi,& redici nunc uolo. Reſtat ut, cùm de Ariſtotele primùm verba fecerim,de ceteris nunc a me nonnullis habeatur ſermo,de quibus in his diſputationibus quoque mentio facta eſt. Ego cum animo meo ſic reputaui, rationémq. ſubduxi,ſi

xi,si meam caussam herì comprobauissetis, longè minori cum diffi cultate me hodiernam caussam obtēturum. nam qui antea pro deo habitus, humani a se nihil alienum expertus fuisse, est declaratus, is, credo, satis esse potuerit nobis documento, ceteros, qui cum hominibus uixerunt, & uitam suam cum morte commutarunt, homines fuisse, atque ideo humanae condicioni obnoxios, errare potuisse. Cùm autem ea philosophia, quae de moribus est, tractationē habeat duplicem, unam de ratione uitae priuatae, quotidianaéq., alteram de illa uita, quae cum aliis uiuitur, quaéq. mutua officia in hominibus contemplatur, eáq. rursus partes habeat duas, alteram, amicorum communionem, alteram, populorum iure sociatorum publicam coniunctionem, & legibus, imperiísq. firmatam, constabilitámq.; illam, quae ad singulos, & ad familiaritate, seu genere proximos inter se, homines adtinet, copiosissimè, &; ut vulgus hominum existimat; uerissimè in litteras misit Aristoteles: de altera, quae legibus, & iurisdictione constat, & si multa, non omnia tamē, uerum praecipua quaedam nobis idem artifex impertiuit. Eius autem vultus, facies, corpus, tota denique forma diligentissimè ab antiquis Romanis I. Consultis delineata fuit; ita, ut si quae mutila mā cáq. sub eorum nomine circumferuntur, a nobis integra haberentur, uel nihil, uel certè parum in eo negotio desiderari posset. Romana enim resp. sicuti belli gloria cunctas respublicas, & imperia regum, populorúmq. longè post se reliquit, ita, Iuris ciuilis cognitione, ac celebritate, non Athenas solùm; quibus istius prudentiae debet incunabula; uerùm omnes alias orbis regiones, urbes, prouincias antecessit. Nō mirū igitur facio, si Romanā iurisprudentiā, vt absolutiorē, & illustriorē, in ordinē adscitā propositionū, quae moralis philosophiae dicūtur, ad disputandū producere uolui. In hac autē, multa sicuti rerū natura fert, multi ex I. C. ipsis, quia non omnes omnia, quae requirūtur ad perfectū iurisconsultum, in se habebant, peccauerunt: aliis enim defuit cognitio uerae illius, & inaffectatae philosophiae, aliis non exactè comparata; multis obstitit animi procliuitas ad inclinandum in eam partem, quae magis amica iniqui, quàm aequi ipsismet uidebatur. Quid factum postea? ut non omnes uerè, & syncerè ius suum tractarint; ideóq. in multis de disse

diſſe locum reprehenſioni,& correctioni reſponſorũ,quae ipſi reddebant,uideantur;poſito,quòd illorum monumenta non lacera,diſtracta,mutila,vt nunc ſunt,verùm apud nos abſoluta,fideliáq. circumferrẽtur. Iuriſconſultos ſecuti ſunt imperatores. partim enim illorum cum imperatoribus uixerunt,magnóq. apud illos in honore habiti ſunt,partim etiam,imperatorum aetatem praeceſſerunt. In impp. reſcriptis quidquid boni eſt,habetur uel de ipſorum I.C. marte,quibus ad maximas res utebantur, qui haberent ſalem;ídq. plerumque omnia;uel,quod exiguum eſt, de nonnullorum imperatorum ingenio,qui in litteris promouerunt. In his conſtitutionibus non multa reperiuntur, quae ſpongiae admouenda forent,ſed reperiuntur tamen nonnulla: plurima dicere nolim, quia non adſentior iis, qui reſcriptorum contrarietatem errori cauſſam praebere iudicant. Quid! ſi aduerſae inter ſe erunt leges illae, (dicet aliquis) nónne iuſtitiae uis in alterutra illarum parte retinebitur? nam in utraque ſanctè, piéq. coli iuſtitiam, quis ſanus praedicet! Ego poſſe, contrà, exiſtimo: quia cùm ius naturale in animo ſemper habuiſſe illos,credibile eſſe poſſit,quod adſequi pro uiribus ſtuderent, eandem in iure dicundo rationem ideo non ſunt ſecuti, quia non eiuſdem hominibus ingenii, temporis,uitae, morum,leges tulerũt. Sed ad inferiora tẽpora deſcendere,eſt animus;nónne

--parentis crediderim ſui
Fregiſſe ceruicem,& penetralia
Sparſiße nocturno cruore
Hoſpitis!-- & *venena Colchica*,
Et quidquid vſquam concipitur nefas

tractauiſſe Iuſtinianum imperatorem! qui cùm iniſſet conſilium, Ius ciuile Romanorũ,cõmentariis, reſponſíſq. abunde refertũ tot elegantiſsimorũ,& ſapientiſsimorũ uirorũ, in artem redigere, ita cupiditate gloriae ſuum animum occupari eſt paſſus, ut quae a ſe prouidenda erant, ratione non prouiderit, homines,nimirum,qui in poſterum erant futuri,non deſerturos humanum ingenium;dum ea,quae litteris complexa ſunt, indies clariora efficere contendũt ídq. commentariorũ ope,ſicuti in XII tabularum aliiſq.compluri

bus legibus I. C. superiores fecerant; sed longo ab illis discrimine collocandos, cùm illi reip. suae mores, & progressus probè callerēt, isti nihil minùs; illi tēporibus, per quae florentissimū statū sortita est resp. proximi fuerint, hi longè ab illis remotissimi inuenirētur. Hoc est primum peccatum Iustiniani: sequitur alterum longè turpius, & maiore dignius cruciatu: Nō sat habuit, quod ante omnia repudiare, & ex animo suo delere consilium debuerat, arctè continuisse, uerùm illius procurationem ineptissimis hominibus relegauisse. Id, quod praestantia capita Romanorum facere uix ausa fuerunt; & si facere inceperunt, in medio cursu, desperatis rebus, restiterunt, iste, perfici posse a nescio quibus terrae filiis, animum induxerat; *sacratissimas constitutiones*, ut ipsius uerbis utar, *antea cō fusas in luculentā* erigere *consonantiam; curámq.* suam extendere *ad immensa ueteris prudentiae uolumina, & opus desperatum, quasi per medium profundum* iens, *caelesti fauore* adimplere: & hoc suum facinus insuper lata lege munire, & confirmare; qua cauit, ne quis *in posterum* auderet *commentarium operi* suo *applicare, & uerbositate sua compendium* huiusmodi *confundere*. Ridiculé. Semper tua regna permansura erant, qui praeclaro illi edicto fore audientes homines, opinabare! Non te stultitiae tuae domesticū exemplum admonere satis potuit, urbem Romam, Mundi olim dominam, nunc uerò, cùm imperii summa penes te esset, e finib. Italiae relegatam, atque de medio Latii, in ultimas terras Europae translatam; Imperiíq. nomen solum in Vrbe continuisse sese, cetera imperii iura ad alias gentes commigrauisse! Incertam esse cōdicionem humanarum rerum; modò huc, modò illuc, quocumque libido fortunae feratur, euehi, trahíq. dominia rerum. Nimis uellē, ut nunc sortem imperii tui commutatam intuerere, quàm te facti paeniteret, ut frontem percuteres! primùm quia pro puris illis doctrinae fontibus conturbatissimos aquarum riuulos nobis obiceris; pro Latina, Romanáq. Barbaram iurisprudētiam induxeris; Deinde quia leges tuas ridiculo minoribus fuisse cognosceres. Nam per Deum immortalem quo nomine factū tuum purgares! Vos appello, Iurisconsultorum manes; quorum industriā, quantū

decus

decus, noménq. gesserit urbs Roma, ferme-moriēs illius imperiū satis docere nos potest: bellicam enim uirtutem non minimum incrementum, nec uulgare fuisse gloriae illius, non negauerim; sed ea potentia, quam sibi parauit armis, auxit, & retinuit legib., quanta nunc est! Legum autem scientia, & incomparabilis illarum prudentia si per Iustinianum percussa non fuisset, qui tot labores excellentium Romani caeli ingeniorum igni deuoueri imperauit, quam latè suas uires extenderet, cùm, eo, quo nunc reperitur, statu corporis, lacera, & detruncata, sola efficit, ut amplitudinem, & fulgorem antiquorum Romanorum admiremur, & sempiternis etiam laudibus euehamus! Vos, inquam, appello, manes Iuriscōsultorum; quis, & quantus uester esset dolor, si fetus uestros immatura, atque inhonesta morte, de medio sublatos, intelligeretis, & illorum partem, amputatis mēbris, nisi uestrum nomen inscriptum ferrent (instar hermathenarum quarundam, quae nisi clarorum aliquot uirorum nomen insculptum haberent, uix a nobis dignosci possent, tam exesae, sitúq. uetustatis confectae sunt) uix certè agnosceretis! qua uerò inuidia, quo stomacho multorum commēta, ne commētarios dicam, legeretis; eorum dico, qui, psittacorū more, cùm tot logis omnes paginas referserint, ubi tamen opus est, infantissimi cōuincūtur esse. Nam quid aliud exspectandum ab eo genere hominū, qui nec Grāmaticen, nec Rhetoricen, nec Dialecticē, postremò nec praecepta morum tenuerunt, uel de facie nouerūt, antè quàm se ad Ius ciuile conferrent, nisi quādam insulsā, & odiosam cōgeriem uerborum, in exponēdis plerumque minutiis, quas grammatici uno uerbo tradunt! Vt de gerundiis longos facere cōmentarios, fuerint qui non erubuerint, & tamen se Ius ciuile tū interpretari, animum inducerent; itémq. sophismatum, & elenchorū indignissimam iurisconsulto, si ullo umquam alio, coaceruationē, connexionémq.! nisi myriades facti specierum, quos, Casus, uocant, quae noua responsa quotidie pariunt, regularúmq. & illarū exceptionum infinitam seriem! Sed

De illis *iam finem faciam dicundi mihi,*
Peccandi cùm ipsi *de se finem non* faciunt

Vt cum Poëta loquar. Et cùm ego me totum dem in eam partem

ut ingenuè in litteris uiuam, & de ipsis a uero animi mei sensu iudicem, simul habeam rationem certam, atque ordinatam, non confusam uel praeposteram in addiscendo, uelim admonitos eos, qui in Iure ciuili nonnullam operam nancisci decreuerunt, hoc meum institutum diligenter secum examinent: & si laudabile sibi uideatur, amplectantur, in eóq. magistros ad imitandum, sibi proponant eos, qui tum in Italia, quorum numerus aliquis est, tum uerò in Gallia, & in Germania, atque adeò circùm ea loca; uel nunc uiuunt, uel memoria patrum nostrorum uixerunt, ut illorum satis monumenta declarãt; quae si cum delectu in manibus tenere sciemus, mirificae scientiae, atque uirtutis, quam nobis ex illis comparauerimus, clarior significatio propediem elucescet. DIXI.

ORATIO TERTIA.

HIC dies (vt uidetis) actum habet ueluti tertiũ, eúmq. nouissimum laboris mei: & haec oratio, quam habere coepi coram uobis de superiore loco (Auditores praestantissimi) postrema denique est futura. Quod tempus idoneum esse mihi uisum est, immo uerò necessarium, in quo quae per me restant agenda, prouidendáq., sic per me agantur, & prouideantur, ut nonnullam de suscepta prouincia laudem reportem: proximè uerò si id impetrare non potero cum bona uestra gratia, uel quòd idem, hoc mihi tribuere, uideatur, atquè uictos a me uos esse, cõfiteri; quod ego numquam sperare ausus sum, neque uerò praestitisse nunc me, sensi; uel quòd in ea gerenda (quod magis credam) negligenter sim uersatus, imperitiámq. potiùs meam detegerim, quàm uoluntatem declarauerim, ita ut optabam; si quidem aliquid, uel meliùs, innumera me fugerint; id saltem exorem a uobis, quod meae commodum famae arbitror, neque dignitati uestrae incommodum euenturum, ut omnia, quae feci, sedulò me, atque ex uera uita fecisse, fidem habeatis. In summa, talem opinionẽ a me uestram, si quae est, amotam uelim, sic me de commodis meis cogitauisse, ut vtilitatis, & dignitatis aliorum rationem nullã habuerim: quinimmo uelim ita uos existimare, illum putauisse maximum

mum mihi quaeſtum, ſi quàm maximè commodis, atque utilitati ueſtrae ſeruirem, dum hanc ſuſciperem, atque ingrederer ſtudiorũ rationem meorum in iis artibus, quarum principia, progreſſus, & modos comparandarum, in medio exponere quoad licuit, & effice re ſitum fuit in nobis, non refugi. Nam qui me inductum, atque im pulſum amore quodam putarit, & cupiditate gloriae ad defenden da eiuſmodi placita, ferè omnia extra vulgarem opinionem collo cata, is in eo non fruſtrabitur ſeſe, neque illi ſuccenſeam: ut etiam amem, ab hominibus haberi, & dici φιλόδοξος, dum ſciam, perfectos homines, & excellẽtibus praeditos ingeniis, quorum ſimilis eſſe la boro, excitari ſpe gloriae. Sed ſi is tam iniquus eſſe perrexerit in me iudex, ut addere etiam non ſit uerituruſ, delectari me magis ru more quodam populari, quòd ad ea cum ingenio, atque induſtria perduci, velim ab aliis intelligi, ad quae non ſine rubore nimiae au daciae ſapientes uiri, atque ex doctrina clari peuetrauerũt: cúmq. hoc ab initio nihil mihi longiùs fuiſſet, quis exitus rerum eſſet fu turus meme nullatenus prouidiſſe; erit certè, cur inclemẽter huic reſponſum uelim, uel quia noſtram laudem inuidia proſequitur, uel; ſi nulla noſtra laus erit; quòd aegritudine animi impediatur, quò minùs adſequi poſſe me credat illa, quae ceteris hominibus pa tuerunt, ideóq. meam induſtriam nullum fructum fuiſſe mortali bus parituram. Enimuero quando ego conſcius ſum mihi, mentem a me huiuſmodi procul abeſſe, iſtum animum, qui nunc in me eſt, retinebo: ſimul aperiendo, atque altiùs repetendo conſilium meũ, facilè me uobis probaturum, ſperare audebo. Ego a principio cùm ad litterarũ ſtudia mentem appuli, nõ tam libenter, vt nunc ſoleo, neque tam libere in litteris uerſabar; primùm quia noſter animus, a labore ad uoluptatẽ paullo momento minimóq. negotio delabi ſolet; ídq. ſi in vlla aetate, in ea certè, cui ob teneritatem annorũ, atque infirmitatem ingenii, ferme omnia, quae ferri non ſolent in aliis prouectioris aetatis, facillimè indulgentur: Deinde, quia ma gni referre putamus, cuiuſmodi tibi magiſter oblatus ſit, ;vt in via praeluceat, donec acceſſerit habitus quidam uſu comparatus, & in propriam naturã conuerſus, vt ab ea deduci poſtea ſinere te, atque in aliam abduci, pro eo tibi uideatur, quaſi cùm priſtinam tuã for-

mam

mam deposueris,& in aliam transmigraris. Factum est autem, vt in teruallo temporum, quid a uera uia, falsa differret, a me licuerit co gnosci: nec anni facultatem eripuerint mihi, quin ab antiqua ratio ne recederem, nouam subirem, lautioribus longè condicionibus, expetendam. In quo cùm ualde mihi ipsi gratulor, tum uerò maximam capio laetitiam si, dum illa, quae didicerim, breuiter uobis commemoraro, comiter ac benignè, quae uestra humanitas est (Auditores praest.) operam uestrã polliceamini. Ego praeceptorũ plenus istorum; dum agere mihi datur in hoc tam exiguo uitae curriculo, numquam desinere debeam, libris legendis, uel praeterita, mẽte recolere, uel praesentia in animo agitare, uel futura, discendo, perspicere, nullúmq. mihi uacuũ tempus a litteris dare. quod si dẽ aliquando, id totum ad communem utilitatẽ conferre, ne mihi soli uixisse, dum uixi, credar: &, ut, ingenii princeps, ac doctrinae, Plato iubebat, profectus meĩ partem parentibus, affinibus, amicis, partem patriae, ceterísq. per gradus hominibus, qui sunt, quíq. futuri erunt, elargiri uelim. Quòd si longè diuturniorem (non dicã sempiternam) certiorémq. uitam, adde & opibus firmam, pacatã, tranquillam & quietã, obtineremus, posse inducere animum, pleraque uelle cognoscere, quae intra humanum captum concluduntur, sed cùm eius loco paruã, exiguam, incertam, infirmis opibus, plenam sollicitudinum, & periculorũ quotidie experiamur; id sperare, ne dicã adgredi, stultũ uideretur: at illa in addiscendo, prima ducere, quae magis necessaria sunt, & quae efficere, & cõsequi possumus, nõ quae uolumus, id uerò tam honestũ dictu, quàm factu non difficillimum apparet esse. Constitui autem, logicis artibus, quas didici, tamquam humanae uitae potiores, & magis fructuosas, adiungere philosophiam illam primùm, quae uerè dicitur a Cicerone dux uitae, indagatrix uirtutis, expultrix uitiorum, inuentrix legum, magistra morum, & disciplinae: alteram deinde, quae naturae uniuersae multiplicis, atque obscurae secreta perscrutatur. Harum artiũ glutino quodam, & communione facta, reliquarum artium, & sciẽtiarum; si lõgior uita obtingeret; mihi ratio facilior adipiscẽdi redderetur. Habent enim omnes disciplinae commune quoddam uinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur. Haec est mihi certa adhuc, & stabilis sententia. quae cùm mihi & saluberri

ma omnium,& digna ſapiente uideatur,habere debet,ut dixi, comitem illam atque praeclarā ducem,libertatem ingenii; alioquin infirma atque eneruata primùm, deinde uaga fiet & errans, & ſine duce remanebit. Cùm enim nihil tā propriū ferè ſit homini, quàm libertas oris,& mentis,cùm id,quod hominū eſt,amiſerimus,quid reliquum nobis fit,niſi id,quod cum brutis animalibus natura commune eſſe uoluit! Nolimus quaeſo committere,ut exuti libertate, uelut in ſeruitutem nexi,noſtra uoluntate aliis addicamur. Cuiuſmodi mentem non noſtram,neque nouam illam quidem,ſed hominibus litteratiſſimis antiquiſſimā, & in hac noſtra aetate paucis, & ante Alexandri illius Aphrodiſienſis aetatem(qui primus Ariſtoteli tantum detulit,ut ei ſe totum dederit) innumeris planè doctis uiris acceptam, &illorum ſcriptis illuſtratam, & cuſtoditam fuiſſe, ſcitote. Quorum nomina;nimirum antiquorum;ut animum quorūdam explerem,qui difficiliores ad credendum ſunt;magna ex parte recenſebo.hi ſunt, Hermias Eunuchus, Hipparchus, Strato Lampſacenus, Demetrius Phalereus, Lyco, Ariſto, Hieronymus Rhodius, Critolaus, Andronicus Rhodius, Boëthus Sydonius, Ariſto alter, Eudorus, Athenodorus, Xenarchus, Nicolaus Damaſcenus, Aſinius Pollio, Cornutus, Lucius, Nicoſtratus, Atticus, Herminus, Achaicus, Apollonius, Galenus, Porphyrius, Iamblicus, Magnus Syrianus, Olympiodorus, Proclus, Hermias alter, Damaſcius, Philoponus, Euſtathius, Plotinus, Sextus Iuſtinus martyr, Epicurus, Varro, Plutarchus, Lactantius;uel,ut alii, Lutatius; Georgius Gemiſtus.hi miſtim Graeci,& Latini.ex Arabis, Auicenna, Algazel, Auempates. Atque hì omnes contra ſolum Ariſtotelem: quid de ceteris iudicandum ſit,ueſtrum erit uidere: meúmq.,ne lōgior ſim aequo,modum ſtatuere orationi meae. Quid igitur ſentirem tam in logicis artibus,quàm in utraque philoſophia,quibus nunc operam do;quid quoque in aliis diſciplinis,quibus eſſet a me inſudandum,ſentire deberem,breuiter cognouiſtis,& dum ego verba facerem,operam ueſtram(Auditores praeſtantiſſimi) benignè praebuiſtis. Sed non tam difficile eſt diuinare,quid cauſſae fuerit,cur mihi ſilentium,ſine ulla turba,ſine ſtrepitu,nimis magno cum otio dederitis: huic aetati,credo,dandam ueniam putaſtis,quae nondum decimum

cimum quartum annum egressa est: an quia de me tantam spẽ conflauistis, ut me dignum, in quem uniuersorum oculi cõiecti essent, olim praestaturus essem? Cuius quidem insignis, ac singularis beneficii uobis, nobilissimorum, & eruditissimorum uirorum honorificẽtissime, ac celeberrime consessus, túq. honestissimorum hominum concursus, memoriam uoluntas erga uos mea, numquam aboleri sinet, scriptis etiam, si facultas aderit, testatam relinquet; gratias autem numquam tam mirificas, numquam tam singulares agi a me, conabitur, quin lõgè plures meritos uos fuisse, magnitudo ipsa rei sit apertè conuictura. DIXI

FINIS

VENETIIS,

TYPIS IACOBI SYMBAENI, ∞ D LXXV.

pē con-
essent,
ris bene
norificē
minum
oleri si
ias au-
a me,
psa rei

XV.

